



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>






600096286.







DE BIMEMBRIS DISSOLUTI APUD SCRIPTORES ROMANOS USU SOLLEMNI.


SCRIPSIT

SIEGISMUNDUS PREUSS,
PHIL. DR.



EDENKOBEN.
MENSE APRILI MDCCCLXXXI.
TYPIS MIETENSII.

305 e. 90.



De bimebris dissoluti apud scriptores Romanos usu sollemni.

Quamquam Kuehnastius (in synt. Liv. p. 285) opinatus est non magis quam quod asyndeton dicitur disiunctivum egere explicatione longa asyndeton sollemne, quippe quod vulgare esset et in omnium communi sermone versaretur, tamen non supervacanei esse laboris existimavi, si de asyndetis illis potissimum, quae celebrata erant proverbii loco, vel sollemnibus quaestionem instituerem et ad eorum cognitionem studerem aliquid conferre. Nam utile mihi in dissoluto sollemni exponendo omne studium ponenti visum est diversa saecula et literarum genera diversosque auctores vocare in iudicium contentionis. Sed consilium illud cepi ob hanc quoque causam, quod mihi persuaseram bimebris dissoluti cum universum genus naturamque tum praecipue sollemne genus neglecta esse a plerisque editoribus recentioribus, qui codicum optimorum auctoritatem in hac re saepe prorsus nihil curarent. Ac profecto editorum recentiorum alii haud satis plane perspectum habent asyndeton bimebre neque probe intellexerunt hoc si non immensis at certe latis finibus in lingua Latina contineri, alii supersedere se posse opinati sunt labore recognoscendi ingentem copiam exemplorum ad codicum optimorum fidem, neque vero hanc operam voluerunt suscipere, ut paucos illos qui in controversiam deducti sunt locos recenserent.

Soli Zumptius (ad Cic. Verr.), Seyffertus (ad Cic. Lael. et Tusc.), Hofmannus (ad Cic. epist.), Hildebrandius (ad Apul.), Weissenbornius (ad Liv.) bene sane meruerunt de dissoluto bimebri.

Madvigius vero in Livii quidem libris ubicunque poterat asyndeton bimbrem sustulit et particulam ,et' vel ,que' multis locis prorsus importune immisit.

Sed, ut opinor, illud quod a Madvigio aliisque exiguam codicum optimorum auctoritatem praetextentibus contra dicitur omnem hanc quaestionem versari in lubrico, cum in hac re ne optimi quidem codices fide sint digni, parvi refert. Quamquam enim particulae ,que, et, aut, [tum]' haud raro omittebantur a librariis, praesertim si literae similes eas aut excipiebant aut eis antecedeabant, ac quamquam in nonnullis cod. ,que' notatum, non perscriptum erat, velut in Puteano Liv. [Q. vel Q, q. vel q], aut a librariis Q. [praenomen ,Quintus'] ita dissolvebatur, ut ,que' oreretur [cfr. Liv. 24, 7, 10], quamquam denique librariorum cod. rec. potissimum Livii quasi quaedam consuetudo erat, ut ,que' vel ,et' insererent [cfr. Fleckeis. ann. 1851, 61, 1, 18 adn.], qua ratione non ipsi modo depravarent multos locos, sed etiam posterioribus edit. denuo depravandi ansam darent,*) tamen mihi persuasissimum est optimorum cod. auctoritatem ne in hac quidem re tam exiguam esse, ut in ipsa non possim ponere quasi fundamenta huius quaestionis aut ut ab eadem quaecunque a censoribus tetricis ex adverso dici possint non refellantur. Illam igitur quin ubique sequeretur non longe afuit. Neque enim in tenebris errare volui certo duce destitutus; quod eventurum fuisse, nisi cod. optimorum fide essem nixus, perspicias ex hac commentatione. Sin autem Madvigius persuadere mihi potuisset codicum in hac re auctoritatem esse perquam exiguam, fundamenta mea hac ipsa re essent eversa. Sed minimi aestimare mihi videtur ille cod. optimorum in his rebus auctoritatem.

Tum autem hoc loco quasi excusandorum librariorum causa illud silentio praetereundum non esse puto, quod illi in scribendo singulis vocabulis magis quam universae enunciationis structurae intenti erant. Itaque minus saepe in vocabulorum dissolutis — audacter dico — mihi videntur peccasse quam in enunciationum dissolutis.

Quae cum ita sint, contra dixerit quispiam: quemadmodum ii, qui lingua Graeca patria uterentur, cum enunciatum notiones singulas coniunctionibus additis inter se conecterent multo etiam crebrius quam Romani [et ii, qui noviciis

*) Quod ad linguam Graecam attinet, cfr. Bromig. de asyndeti natura et apud Aeschylum usu p. 24 et adnot. 1, p. 27 med. et 33.

linguis loquuntur], ita ut asyndeta omnia ex singulari elocutionis ratione proficiscerentur, sic in lingua Latina, cum coniunctionum conexivarum et disiunctivarum numerus esset grandior quam in lingua Germanica, multo frequentius illas quidem singulis locis adhibitas esse quam a nobis Germanis, ac bimembre dissolutum haud ita frequens esse potuisse, cum Romani interdum particulis copulativis uterentur, ubi nos coniunctione omissa dissolute dicamus membra, velut Cic. de leg. agr. 2, 2, 5: multae et graves cog. = viele große Gedanken [et multis aliis locis]. [Semel hoc loco moneam eadem etiam contra valere; velut Romani dicere solebant (pleonastice): „saepe multi“, ubi nobis dicendum est: „oft und viele“, vel „oft — viele“. Sed etiam Romani hoc asyndeton nonnunquam sustulerunt, velut Sen. epist. 98, 13: a multis et saepe]. Sed tamen intellegitur ex hac commentatione illud ita se habere, ut supra diximus, asyndeton bimembre late patere, praesertim cum scribendi generis Romanorum proprius sit progressus orationis a contrariis ad contraria; multa autem dissoluta sublata editoribus vitio esse vertenda, non codicibus.

Trimembris autem asyndeti exempla colligere et probare erat alienum a proposito meo. Neque enim est quisquam, qui tria vocabula saepe ab omnibus paene scriptoribus sine particulis enumerata esse ignoret.

Sed etiam dissoluti bimembris universo genere in vocabulis Romani crebro utebantur, quamquam hoc factum esse non licet colligere ex Quintil. 9, 3, 50: „utimur hac figura dissolutionis non in singulis modo verbis, sed sententiis etiam“, cum haec verba item ad trimembre, ut ad bimembre dissolutum referri possint.

Bimembris autem in singulis vocabulis coniunctis asyndeti universa natura in hac re vertitur, quod nullum quod in cernendi sensum cadit signum, nulla orationis particula, vocabulum cum vocabulo conectit, sed rerum ipsarum et sententiarum est vocabula tamquam copulare. Haec igitur per ipsas res eas, quas continent, conectuntur.

Atque ubi coniunctio omittitur, exiguo intervallo singula membra vel articuli, ita ut paulum morae existat inter ea, pronunciantur, quae res hoc spectat, ut animi eorum, qui legunt vel audiunt, acuuntur ad attendendum.

Eo vero, quod dissolute dicuntur duo contraria quae componuntur vocabula, saepissime acriter et graviter vehementerque declaratur illa quae pronunciantur esse duo inter

se contraria vel certe videri praecipue diversa. Ubi autem duobus idem significantibus vocabulis coniunctio demitur, sententiis congruere inter se membra cum vi significatur.

A Bromigii autem opinione, qua indicat (pag. 15) asyndeton sua ipsius natura omnino non pertinere ubique ad eam celeritatem, quae sit vehemens et concitatus orationis cursus, ita dissentio [rationem eius rei ducens, quod ille de asyndeti in lingua Graeca usu disputavit], ut plane non dubitem, quin ad talem celeritatem non modo enunciationum asyndeton satis crebro aut ubique spectet, sed etiam vocabulorum asyndeton, ut paulo infra cognoscemus, fere ubique principio pertinuerit ad cursum incitatioem et vehementiam orationis. Sed cum procedente tempore in proverbii consuetudinem venissent sollemnia quaedam asyndeta, vis atque incitatio, qua illae locutiones primo ortu, ut ita dicam, non carebant, non iam conspicua erat, cum multo usu et vetustate essent contrita. Qui igitur principes utebantur iis quae sollemnia facta sunt asyndetis scriptores idem illud consilium secutos esse, ut concitate dicerent, per se intellegitur. [Nonnunquam autem eximenda sunt de hoc praecepto enumerativi asyndeti exempla].

Sed haec omnia, ex quibus recte colligas naturam orationis aliquanto mutari, ubi coniunctio omittitur, etiam minus cadunt in asyndeti sollemnis ipsius exempla, quae tractare nobis proposuimus, quam in dissoluti universum genus et vim naturamque definiendam.

Sollemne autem dissoluti bimembris genus, potissimum illud, quod versatur in iis monumentis et literis, quae ad iuris disciplinam pertinent, fere semper — si ex prima statim fronte rem iudicabis — nihil aliud nisi breviter dicendi, e qua saepe oritur celeritas et volubilitas levitasque orationis, spectat, quod testatur auct. ad Herenn. 4, 30, 41: hoc [asyndeti] genus et acrimoniam habet... et ad breviter accommodatum. Sed eundem exitum habebit deliberatio tua, si omnia exempla diligenter circumspekeris et diu multumque reputaveris.

Fere autem illa brevis petita videtur in asyndeto ad contraria adhibito, ubi duae diversae res unam et totam complectuntur, et maxime in disiunctivo asyndeto. In eorum autem vocabulorum quae idem fere significant dissoluti sollemni eadem figura, cum discesseris a celeritate et brevitate dicendi, efficitur, ut singulae voces magna cum vehementia

et vi amplaque cum gravitate et maiestate efferantur. Quod consilium in contrariorum dissoluto saepe obscuratur eo, quod scriptores id enitentur, ut illarum de quibus agitur rerum summam faciant.

Sed nequaquam mirandum est, quod in iis quae ἀσυνδέτως positae procedente tempore in proverbium cesserunt locutionibus, postquam multo usu tritiores sunt factae, vehementia gravitasque desiderantur. In causa enim erat ipse frequens usus.

Multis igitur locis in proverbialibus quas dicimus formulis, etsi oratio non erat concitata et ardens, invenimus coniunctionem Ciceronis quoque ac Livii tempore omissam esse ob ipsam solam rem, quod in illis verbis idem hoc consilium, ut graviter vehementerque dicerent, priore tempore secutos esse auctores vel certe aliquem auctorem manifestum est ac quod illa quidem ab initio eadem ut posteriore tempore forma dicta sunt, sed paulatim in vulgi consuetudinem ac proverbium eaque ἀσυνδέτως posita venerunt, ita ut procedente tempore prorsus vel certe plus minusve neglecta esse videatur coniunctio, quasi omnino non pertineat ad tales locutiones. Sed ut cum lenitate quadam aequabili sermo profluat, tamen saepe, si coniunctio inseritur, ubi illa de quibus agitur verba obtinere locum proverbii significatur, onus quoddam imponitur sermoni, quia illa non proverbii speciem habere videntur nisi dissolute dicta. [Hoc in cap. II huius comm. illustrabitur].

Neque autem minus in aperto est auctoribus, ubicunque concitate vehementerque dicunt, asyndeto uti esse licitum. Cfr. auct. ad Herenn. 4, § 41: — acrimoniam habet in se.

Sed non brevitatem modo, quippe quae Romanorum sermonis generis maxime propria sit et cuius causa ex moribus et ingenio populi Romani repetatur, verum etiam venustatem et elegantiam spectat dissolutum sollemne. Rectissime igitur Hildebr. dicit ad Apul. m. 1, 5, 26: „elegans est dicendi ratio, qua copula in tali verborum nexu omititur“ (ultra citro).

In sermone cotidiano et in forensi publicoque dicendi genere, quod erat in curiis et aulis principum usitatum, et in illo, quod in sacris versabatur, antiquas et proverbii loco celebratas formulas valuisse et retentas esse diutissime opinatus eram statim initio et re vera postea mea perscrutandi

ratio mihi fecit fidem. Praecipue enim Plautum et Terentium, quamquam ex neutro veram ac propriam quam priscam dicunt latinitatem cognoscere possumus, tamen ideo perlegi, quod prope accedunt ad similitudinem priscæ latinitatis, ex qua quidem multa conservabant, quæ in oratione accurata et polita fortasse iam ipsorum tempore obsoleta erant, tum etiam inscriptiones antiquissimas cognoscendas putavi. Hoc autem non minus quam illud factum est eo consilio, ut perspicerem, quantum et in quibus rebus optimi latinitatis auctores cum antiquis et superioribus discreparent. Nam brevi antea intellexeram optimos scriptores, quod ad sollemne asyndeton attinet, haud ita multum abhorreere inter se non dissentientes ab usu ad legitimam normam, ut ita dicam, exacto.

Ex illa autem optimorum cum superioribus scriptoribus contentione intellegitur asyndeton bimembre apud priscos scriptores multo frequentius esse quam apud optimos et inferiores; multorum enim dissolutorum sollemnium principia et exempla ipsa, quorum saepe vestigia tantum apud optimos et ætate inferiores reperimus, apud illos, potissimum apud comicos poetas, invenimus et originem et progressum persecuti.

Permulta igitur asyndeta sollemnia ad antiquos comicos sunt revocanda et ex iis quasi fontibus repetuntur. Quod autem apud illos praecipue multa dissolute scripta invenimus, non est mirum, cum pleraque ex cotidiano sermone sumpta sint. Habent autem non solum comici multa, sed etiam iisdem ex causis tragici (velut posteriore etiam tempore: Seneca) quaedam, quæ possis decerpere. Nam hi quoque, praesertim si concitate dicunt, ita vocabula cumulant componentes duo in unum locum, ut illa presse dicantur ac quasi plus efficiant.

Apud scenicos igitur poetas vocabulorum asyndeton omnino usitatissimum fuit.

Sed etiam oratores, quippe qui instituti essent [quod ad linguae praesidia attinet] tamquam disciplina illorum qui ante fuerant tragicorum et comicorum et videantur vigore alacritateque populi propria quasi imbuti esse, vocabulorum asyndetis si non tam frequenter ut illi, at certe ita usi sunt, ut vehementia et gravitas inesset in iis. Sed in vocabulorum tantum asyndeton haec quadrant. Nam enunciationum dissoluto oratores maxime faverunt, ut in lingua Graeca (cfr. Bromig. p. 9 et 15), ita etiam in Latina. Quod igitur

Bromigius dixit de hac re, in enunciationum tantummodo *asyndeton* cadit, sed omnino non in vocabulorum *asyndeton*. Nam persuasum habeo hoc quidem dissolutum oratores et Graecos et Romanos quasi didicisse a poetis illis. Itaque mihi oratores bene meruisse videntur de excolendo enunciationum *asyndeto*; ut autem vocabulorum *asyndeton* floreret et vigeret, factum est per tragicos et comicos.

Jam consideremus, quem modum singuli scriptores cum bimembris dissoluti universi tum praecipue sollemnibus usui stataerint. Omne autem scriptorum genus excutiendum esse putavi.

Plautus et Terentius alique vetustiores scriptores — id quod supra iam significavi — omnino dissoluto bimembri faverunt, praesertim ubi id consilium sequebantur, ut notiones singulae premerentur graviterque dicerentur. Apud illos duos comicos vel propterea multa *asyndeta* scripta legimus, quod studiosissimi erant abundantis super necessitatem orationis, quamobrem creberrime duo vocabula pro una notione dicebant, cui pondus tribuerent. Itaque saepe duo adiectiva vel participia eandem rem significantia substantivum sequuntur dissolute dicta, velut ap. Plaut. Merc. 2, 2, 20 Weise: *senex vetus, decrepitus* [sed haec adiect. hoc ordine collocata ac dissolute dicta ap. Plautum quidem proverbii speciem habent, cfr. Epid. 5, 2, 1, Merc. 2, 2, 43, Arnob. 2, 13]; deinde cfr. Men. 591 Br., Capt. 406 Fl., Rud. 125, Asin. 223. 340, mil. glor. 663, Pseud. 697 et 698; ap. Ter. Andr. 855 Fl. Raro autem substantivo antecedunt adiectiva vel participia, velut ap. Plaut. Men. 975, Capt. 719 (722).

Similiter a Plauto et omnino a comicis duo substantiva, quae sono haud disparia vel notionum cognatione inter se sunt coniuncta, dissolute dicta sunt, velut ap. Plaut. Rud. 665: *auxili, praesidi*, mil. glor. 648, Pseud. 587 (603). 559 (580), Asin. 824, Bacch. 732, Pers. 4, 4, 17, cfr. Ter. Phorm. 243.

Tantum autem abest, ut verba a Plauto et Terentio rarius dissolute dicta sint quam adiectiva et substantiva, ut creberrime duo verba *ασυνδέτως* posita inveniamus, cfr. Plaut. Bacch. 407. 862. 931, Men. 140, similiter Most. 4, 4, 37, Pers. 5, 2, 3 [cfr. 5, 2, 5], Merc. 4, 1, 15. 2, 3, 130, Cas. 2, 6, 55; Ter. Heaut. 404, Eun. 363. 554. His quidem exemplis exhibentur verba idem significantia. Aliorum autem simile aliquid declarantium exempla non pau-

ciora, sed paene ubique obvia, cfr. Brix. ad Trin. 243, Lorenz. in praef. f. Pseud. p. 44 adn. 40 et exempla: vivere valere, potare amare, pugnare proeliare, edere bibere, de quibus in cap. II dicam.

Terentius autem asyndeto bimembri haud minus crebro quam Plautus usus est.

Sed in vocabulis sibi oppositis asyndeton bimembre utriusque minus usitatum fuit quam in vocabulis idem declarantibus.

Quodsi sollemnis dissoluti apud utrumque usum comparaveris cum asyndeti bimembris universi apud illos usu ac si rationem eius rei habueris, quod longe lateque asyndeton bimembre apud utrumque patuit, invenies aliter rem se habere ac putaras. Nam certe spes te tenuerat plura etiam exempla sollemnis asyndeti te esse reperturum. Antequam autem crebro sollemnis asyndeti usu Plauto Terentius. Haec autem, quae hoc loco dixi, contra illud, quod supra significavi, omnino non repugnant, si me reputabis hoc loco contulisse sollemne asyndeton cum universo asyndeti genere.

Quod ad M. Porc. Catonem attinet, Holtze (in synt. prisc. lat. scr. II, p. 212 et sq.) dixit: maxime frequens est asyndeton in libro Catonis de re rust., quod partim ex incompto huius libri dicendi genere, cui ultima lima scriptoris defuisse videtur, explicari potest. Sed illud referendum est ad asyndeti universi usum. Sollemni autem asyndeti genere Cato haud ita crebro usus est; quamquam complura dissoluta sollemnia ex Catone sunt repetenda [dextra sinistra aliaque].

[Idem quod de Catone dixi est iudicandum de Ennio].

Apud vetustiores igitur auctores et in prisca latinitate omnino asyndeton bimembre viguisse ex his quae exposui cognosces.

Tum autem asyndeti apud hos scriptores vetustissimos usus discrepat praeter opinionem cum optimorum posteriorumque loquendi consuetudine. Nam ex Cicéronis ipsius tempore asyndeton bimembre iam minus late patuit.

Causa autem cur subtiles atque elegantes auctores, Caesar, Cicero, alique, illis formulis, quae priore tempore ἀσυνδέτως positae erant, saepe coniunctionem adiuverint, ex eo repetenda est, quod asyndeta sollemnia, quae apud veteres usitata erant, illi quo Cicero erat tempori non iam conveniebant et summorum auctorum loquendi consuetudini quasi repugnabant. Itaque eae formulae vel locutiones, quae finge-

bantur aut novabantur Ciceronis tempore vel haud multo ante, ita formabantur, ut coniunctio adderetur. Cfr. ‚gaudenti ac libenti‘ Cic. ad Att. 2, 4, 2 pro antiqua formula: ‚laetus libens‘. Quo factum est, ut veteres illae formulae cum his exaequarentur. Cfr. Sen. dial. 1, 3, 13: laetus et libens. Sed sola ea asyndeta, quae in consuetudine satis valebant, potissimum illa, quae iurisconsultorum sermonis propria erant [velut ‚usus fructus, pactum conventum‘ aliaque], rarius scriptores ausi sunt commutare vel in aliam formam redigere.

Ut vero optimi paulatim multis formulis, quae antea per asyndeton dictae erant, coniunctionem adiunxerunt, ita posteriores vel ideo, quia satietas illius quam ad id tempus tenuerant auctores loquendi consuetudinis ipsos capiebat, in dies studiosiores factos esse particulae copulativae inserendae perspicimus paulo infra.

Jam apud M. Terent. Varronem asyndeti bimembris exempla aliquanto rarius inveniuntur.

Apud Lucretium autem asyndeton frequens esse ait Holtze (in synt. Lucret. p. 153) complura afferens exempla; sed perpaucis modo locis bimembre asyndeton scriptum legimus, omnibus aliis qui allati sunt locis tria plurave membra enumerata sine coniunctione invenimus. Ex illis autem paucis locis tres minus insignes sunt, quippe quibus propter anaphoram coniunctio fiat supervacanea.

Ciceronem vero ipsum ut asyndeto bimembri, si universum spectas, creberrime utebatur, ita sollemni dissoluto haud ita eximie fuisse intelleges. Multa quidem sollemnia apud eum scripta legimus, sed — id quod permagni momenti est — saepe verba ea, quae composita formulam quandam efficiebant et priore tempore dissolute erant dicta, per particulas copulavit nec vero eadem nisi interdum per asyndeton dixit. Saepius igitur copulam addidit quam omisit vel dempsit; cfr. ‚ultro citro, huc illuc, aequum bonum, [usus fructus], diem noctem, pactum conventum‘. Paucos vero locos editores depravaverunt eo, quod ‚que‘ vel ‚et‘ interposuerunt ignari illius loquendi consuetudinis.

Caesar asyndeto in duobus articulis coniunctis rarissime usus est; ne illud quidem quod rhetoricum dicitur genus in deliciis ei fuit. Atque etiam ubi anaphora usus est, qua adhibita particula copulativa supervacanea fit, coniunctionem saepe adiunxit, velut in l. de b. Gall. 5, 8, 2: pro tempore et pro re, cfr. 1, 3, 7. 1, 44, 2. 3, 1, 2, de b. civ. 1, 72:

sine pugna et sine vulnere [cfr. Tac. hist. 3, 13: sine proelio sine vulnere]. Pauca tantum vocabulorum asyndeta apud eum inveni: ‚servos pastores‘ b. civ. 1, 24, cfr. 1, 29 ibid. [aux., equit.] et b. Gall. 5, 27, 7 [‚monere orare‘] et 7, 14, 10 [‚liberos coniuges‘]. Trimembre autem asyndeton in libr. de b. civ. rarius etiam quam in l. de b. Gall. invenitur. Mirum profecto, ut habet se res, videtur, quod asyndeton tam vehementer ille aspernatus est. Sed si ea spectaveris, quae Brutus apud Cic. Brut. 75, 262 de Caesaris sermonis genere existimavit, minus mirandum esse illud concedes. Cur autem asyndeti in vocabulis usum terminis angustis circumscripserit et defini-erit, illud quoque valet, quod, quaecunque scripsit, diligentia correxit et lima polivit.

Apud Cornelium Nepotem perpauca sollemnis asyndeti exempla scripta legimus, quandoquidem omnino asyndeton et bimembre et trimembre anguste coërebat.

In Sallustii libris asyndeton [ut trimembre ita] bimembre longe lateque patet. Sed sollemne genus si comparaveris cum universo, omnium opinione minus late patere invenies.

Livius autem celebravit asyndeton nullo genere excepto. Permulta asyndeta bimembra apud eum scripta invenimus, cum saepissime vocabula idem declarantia cumularet. Sed multa eius generis, quod testimonium gravitatis et vehementiae orationis est, in hanc commentationem non recepi, cum abhorrerent a certo illo consilio, quod proposui. Nun vero causa, cur in Livii libris asyndeta permulta scripta invenerimus, ex eo petenda sit, quod semper in scribendo quantam poterat festinationem adhibebat et quas iam conscripserat partes libri denuo retractare et diligenter perpendere neglegebat, equidem dubito. — Vitatum autem esse crebro asyndeton non modo a librariis, verum etiam ab editoribus demonstrabimus in cap. II. —

Apud Vergilium, Horatium, Silium Italicum, omnino apud poëtas, qui Augusti tempore et paulo post fuerunt, minus vixit asyndeton sollemne; quamquam per eosdem, potissimum per Ovidium, nonnulla asyndeta cognovimus. Epicae autem poësis leniori flumini omnino illud sollemne genus minus videtur placuisse.

Apud [M.] Ann. Senecam (rhetorem) haud ita multa sollemnia, sed alia asyndeta satis multa scripta legimus, praecipue id asyndeti genus, quod valet ad augendum et explicandum, velut contr. 9, 5 (28), 14: vivit, salvus est, 10,

1 (30), 12: sordid. sum, lugeo, 7, 7 (22), 13: incons. temerar.; 10 praef. § 15: duros, asperos [quod haud scio an pro-verbii speciem habeat; cfr. Sen. dial. 1, 5, 9, epist. 120, 12, Liv. 26, 36, 2 [atque]; similiter Varro r. r. 2, 5, Plin. n. h. 11, 37, 201, Sen. epist. 31, 7. 98, 3. 123, 14, Cic. Scaur. § 32, pro Mur. § 60].

Filius eius, [L.] Ann. Seneca (philos.), asyndeton sollemne eximie excoluit, potissimum in tragoediis; sed etiam in epistulis et libris aliis satis multa exempla illius invenimus. Itaque mirum est, quod hic paene omnibus formulis, quas a iurisperitorum sermone petebat, coniunctionem adiunxit, quamquam non solum priore, sed etiam posteriore tempore dissolute dictae sunt: [cfr. in cap. II 'usus fructus', 'datum adsignatum'] pro usitatissima formula: 'pactum conventum' dixit: 'pacta conventaque' [benef. 3, 15, 1], pro 'habere possidere', quae verba a iurisperitis dissolute dicebantur, scriptum legimus apud eund. in dial. 9, 11, 3: 'poss. habuque'; cfr. ibidem: 'reddo restituo' et 'do cedo', sed utroque loco allata sunt verba ab illo. Alia autem asyndeti genera minus ei probata sunt quam sollemne.

Velleius Paternulus dissoluto omnino rarissime usus ne sollemni quidem est delectatus. Tria tantum asyndeta apud eum invenimus (2, 100. 2, 125. 2, 20] praeter nonnulla personarum vel locorum propria nomina ἀσυνδέτως posita.

Petronius ut omnino permulta [multo plura quam Horatius, Persius, Juvenalis aliique saturarum scriptores] ex communi sermone assumpsit, ita etiam nonnulla asyndeti sollemnis exempla [,hac illac, (huc illuc), plus minus, velim nolim'] ex illo fonte deprompsit. Asyndeton autem, si discesseris a sollemni, improbatum esse ei invenies. Illi autem tres omnino non faverunt asyndeto sollemni.

Apud Plinium maiorem asyndeton enumerativum saepe scriptum legimus, nonnumquam apud eundem explicativum [cum altera notione altera augetur et illustratur], sed sollemne minus gratum ei fuit. Ex quo genere praeter 'sursum deorsum, huc illuc, ultro citro, extra intra' huc spectat: 'rupta convolsa' 22, 16, 40. 22, 22, 73. 76. 79. 27, 12, 129. 27, 13, 135. 32. 9, 103. 24, 5, 20. 21 [cfr. 27, 10, 91]. Nonnulla autem horum exemplorum referenda sunt ad enumerativum asyndeton, quamobrem minus insignia sunt. Quod etsi saepe adiectiva quaedam, quae vim contrariam habent, unum alteri sine particula opponuntur omnino ad

similitudinem substantivorum (ut in lingua Graeca sic in Latina), tamen raro contraria vocabula sine coniunctione composita legimus apud illum, cfr. ,extra intra' n. h. 2, 1, 2. 6, 32, 205, quod proverbii locum videtur obtinere [cfr. ,intra extra supra' 2, 66, 166, sed coniunctio addita est illis a Colum. r. r. 8, 15, a Sen. n. qu. 1 prol. 13, a Pomp. Mel. chor. 1, § 2. 1, 4, 24], tum cfr.: ,albam nigram, maiorem minorem' 24, 4, 9 [sed ,alba ac n.' 15, 18, 71 aliisque locis], ,excelsum humilem' [insigne exemplum] 35, 10, 69, ,viris feminis' 37, 13, 201. Trimembre autem asyndeton ut apud omnes fere, ita ap. Plin. mai. est frequentius.

Quintilianus angustis finibus sollemnis dissoluti usum circumscripsit; praeter ,huc illuc' semel dictum vix ullum sollemnis asyndeti exemplum grave invenies. Sed huius rei causa petenda est et a proprietate illarum quae propositae ei erant rerum et a tractandi ratione ei peculiari, quarum ab utraque sollemne asyndeton abhorret. Nec vero extra illos fines egressus est in asyndeti universi usu.

Cum usu Ovidiano habet similitudinem asyndeti sollemnis apud Martialem usus. Uterque enim iisdem formulis, quibus coniunctio addebatur usitato more, aliis locis particulam dempsit aliis adiunxit. Ut Ovidius compluries ,terque quaterque', sed etiam ,ter quater' dixit, sic Martialis. Ovidius autem omnino de tralaticio more saepius etiam decessit quam ille, cui pauca sollemnia debemus, quibus alii usi sunt rarissime.

Apud Tacitum asyndeton creberrime ad augendum valet. Sollemne autem raro apud eum invenimus, nisi forte haec quoque dissoluta huc referre velimus: ,oscula complexus' ann. 11, 27, ,complectentium osculantium' 4, 63, cfr. Sen. controv. 7, 1 (16), 11: complexu, oculis, et anthol. lat. Riese f. II, p. 248, 780, 10 [sed ,ansulari atque amplexari' iam Plant. mil. glor. 1433, similiter Plin. n. h. 16, 44, 242 (que), Val. Max. 7, 1, 1, Stat. silv. 3, 2, 57, Cic. somn. Sc. 3, 6, Sen. dial. 11, 15, 5, benef. 7, 13], deinde ,dolor ira' Tac. ann. 2, 82, cfr. Avian. 2, 15, 12 Grosse, inc. a. fab. Octav. Peip. 181, Dracont. carm. min. 7, 76, 8, 830. 10, 317, anthol. l. Riese f. I p. 176, 166 [sed ,dolor et ira' Tac. ann. 1, 41. 2, 19, hist. 3, 14 (ex con. Ritteri: ,dolor ira'), cfr. hist. 4, 44, Ovid. Jb. 86], tum cfr.: ,clamore telis' ann. 4, 48, ,cl. telis equis' 6, 35.

Paulo autem magis videtur placuisse dissolutum sollemne Suetonio, apud quem nonnulla sollemnia scripta legimus.

Apud Plinium minorem trimembris asyndeti exemplorum copia est ingens; atque etiam ubi plura membra enumeravit, fere semper coniunctio est omissa. Sed etiam bimbrem asyndeton lato apud eum ambitu fuit, potissimum explicativum; sollemni autem minus favit [,aestate hieme' [epist. 9, 40, 3] proverbii speciem habere recte conicias, cfr. Quintil. 5, 10, 42].

Flori usus loquendi — si in universam spectas — non adversatus est asyndeto bimbri; nec tamen ullum illius genus in deliciis ei fuit. Fere semper apud eundem duo idem significantia vocabula copulata invenimus [vix et aegre 1, 26 (2, 10), 3, iure in ritoque 1, 34 (2, 19), 3 aliaque].

Justinus asyndeto bimbri omnino rarissime usus est; neque crebrius Frontinus.

Ex aliis posterioris temporis scriptoribus Fronto, Gellius, Apuleius nequaquam abhorruerunt ab asyndeto sollemni, quippe cum Gellius multa, Fronto et Apuleius per multa e vetustiorum poetarum lectione, velut Plauti et Terentii, peterent eorumque vestigia persequerentur. Velut Apuleius dixit: ,hac illac', quod asyndeton vetustiorum [et cotidiani sermonis] proprium est, Fronto et Gellius: ,plerique omnes' et alia, quae apud Plautum et Terentium scripta legimus.

Ut trimembre perplacuit, ita bimbrem asyndeton videtur non improbatum esse Minucio Felici (in Oct.). Recte igitur defendit Halmius ad Oct. 12, 2 asyndeton: ,maior melior' [cfr. 12, 2, 12, 5, 12, 6].

Tertulliano vehementer sollemne as. displicuit.

Apud Arnobium complura sollemnia [multaque alius generis] as. invenimus, quorum pauca nusquam alibi scripta legimus.

Apud Ammian. Marcellin. autem vereor ut ullum aliud asyndeti sollemnis insigne exemplum inventurus sis praeter ,hinc inde', quam formulam duodecies apud eum scriptam legimus, et praeter ,lucē palam' [14, 1 extr.] praeterque ,denique tandem' [17, 12, 5 extr., cfr. 1, 26, 5 extr.]. Omnino asyndeto bimbri perraro usus est.

Apud Salvianum praeter ,velis nolis' paene nullum solleme as. invenimus.

Horum de quibus hoc loco feci mentionem aliorumque quos singulis locis commemorabo auctorum libros non minus

diligenter quam iurisconsultorum literas, in quorum sermone sollemne dissolutum usitatissimum erat, excussi ad eius usum describendum. Sed semper id agebam, ut signa quaedam et notae exploranda essent, quibus multi loci, qui in controversiam sunt deducti ab editoribus, qui incerti essent, utrum vocabulis, de quibus ageretur, coniunctio a scriptoribus adiuncta an dempta esset, diiudicarentur. Eius autem generis regulas et iudicia investigare et constituere difficillimum est, quamvis inter scriptores vetustiores optimos posteriores, cum asyndeton res admodum varia et multiplex sit, aliquantum intersit. Satis superque autem me assecutum esse existimabo, si contigerit mihi, ut paucas iudicandi notas certas invenisse videar.

Jam vero, — cum haec quaestiuncula definiatur iis fere ipsis vocabulorum dissolutis, quae saepe et a multis vel pluribus auctoribus usurpata sunt et hoc modo in proverbii consuetudinem venerunt, — dividamus asyndeti sollemnis genus in partes duas.

Atque in primo quidem capite dissolutum sollemne in duobus inter se contrariis vel diversis vocabulis adhibitum explicabimus, in altero asyndeton in duobus eandem fere rem declarantibus vel notionum cognatione inter se coniunctis vocabulis usitatum perscrutabimur. In illorum autem quae in cap. I afferam dissolutorum numerum referenda esse quae disiunctiva dicuntur asyndeta censeo.

Caput I.

A) De asyndeto copulativo.

Creberrime dempta coniunctione dicuntur dissolute duo vocabula inter se contraria, ubi notio latius patens et communis illa complectitur, ita ut alterum vocabulum altero suppleatur et duo illi articuli mente ac cogitatione in unum comprehendantur. Crebro substantivis additur ea notio, cui comprehendendi vis subiecta est. Ad omnia autem contrariorum vocabulorum genera hoc asyndeti genus pertinet.

Ac primum dicemus de adverbiiis.

,Ultero citro.'

Haec locutio saepe idem fere, quod ,huc illuc' et ,hinc atque illinc' (,hinc illinc'), significat: ,in utramque partem' vel ,ab utraque parte'. Nostra autem lingua eandem nonnunquam reddere possumus per: „hin und wieder, gegenseitig, wechselseitig". Neque enim de motu tantum dicitur illa quidem aut de his rebus, quae ab altera parte ad alteram atque ab hac retro aguntur, sed etiam de aliis actis.

a) de adverbiorum asyndeto.

Handius (in Tursell. II, p. 86—89) discrimen inter ,ultero citro' et ,ultero citroque' esse statuit, quod his argumentis confirmare studet: ,ubi opposita collocatione aequipararentur illa duo vocabula et quasi in unam notionem coirent, non opus esse copula: ubi vero ad utramque partem respiciendum esset singulatim et res facta esse diceretur viceissim aut mutuo, nec ab una, sed etiam ab altera parte, semper interponi copulam apud bonos quidem scriptores'. Sed hoc discrimen etsi ipsum per se in hac formula concedendum atque in aliis nonnunquam servatum est [efr. ,hinc inde, comminus eminus'], tamen apud subtiles quidem et elegantes scriptores semper valuisse in hac formula probari non potest. Nam praeterquam quod illo dissoluto — id quod diligenter respiciendum est, cum multo difficilius fiat discrimen inter illas locutiones statuere — boni quidem auctores rarissime usi sunt: si permultis locis vim, quae in illis duobus vocabulis compositis inest, excusseris, multis locis invenies, etsi particula copulativa interiecta sit, coalescere illa in notionem unam. Quodsi Handius paulo infra dixit: ,ubi non de certis partibus, sed indefinite diceretur, omitti copulam', recte opponitur ei, multis locis, ubi indefinite dicatur, particulam esse adiunctam.

Aliam autem causam, ex qua scriptores illud discrimen diligentius quidem non observantes, ,que' vel ,et' illi formulae adiungebant, eamque probabiliorem mihi videor assecutus esse cogitatione. In multas enim formulas cognoscemus procedente demum tempore et paulatim copulativam particulam hlatam vel certe in multis locutionibus, quae priore tempore erant ἀσυνδέτως positae, posteriore tempore [ap. Cic. et aetate inferiores] multo rarius omissam coniunctionem quam additam esse. Itaque posteriores, qui mores antiquitus traditos omnino non retinerent, inserendarum particularum studiosiores videntur fuisse: multa exempla invenies, in quibus illi particulis

utebantur, ex priorum autem scriptorum usu particulae re vera omittebantur. *) Plura igitur vocabula posterioribus conferenda erant ad eandem notionem describendam nec tamen plus dicebant quam prius dictum erat, cum duobus tantum vocabulis [coniunctione dempta] utebantur. Qua re significatur loquendi consuetudinem iam aliquantum depravatam et corruptam esse. Quae cum ita sint, non illam ab Handio allatam causam auctores videntur secuti esse neque in ‚ultra‘ formula neque in aliiis, quae sequuntur. Neque vero praecipuos auctores et omnino posteriores gravitas et vehementia dissoluti bimembris propria fugerat, sed potius quod multae eae formulae, quarum vocabula prius dissolute dicta erant, de vi ac potestate, postquam usitatiores et tritiores factae sunt, procedente tempore multum amiserant, scriptores, ut vocabulis eis, quae illas formulas efficerent, veram ac propriam et principalem significationem redderent, coniunctionem addebant, ubi utrumque verbum volebant illud, quod principio continere solebat, significare. Quod igitur illae ἀσυνδέτως positae formulae iam Ciceronis et Livii tempore contritae vetustate erant et propter frequentem usum quasi orbatae videntur fuisse ea vi ac potestate, quae principio in iis erat, a scriptoribus optimis et a posterioribus coniunctiones, quas, etsi ab initio saepissime vel fere semper omissae erant, certe pertinuisse principio ad illas nascentes formulas vel simul auditas vel petitas esse ab illis nullo negotio intellegimus, eo consilio addebantur, ut illis tanquam suum tribueretur. Hanc autem causam in multis asyndetis secutos esse auctores ex plerisque quae sequuntur exemplis possumus perspicere.

Multum disputaverunt editores in utramque partem et de omittenda particula et de inserenda. Quae tamen locutio (ultra c. que, u. et c., ultra citra) unoquoque loco fide sit digna aliisque lectionibus anteferenda, haec quaestio a nullo solvi potest nisi ope cod. optimorum.

Jam primum dubitaverit aliquis, num ap. Cic. de deor. nat. 2, 33, 84 lectio ‚ultra citra‘, quam in cod. ad unum omnibus scriptam legimus, iure meritoque servata sit, cum praesertim Cicero illo asyndeto alibi non sit usus. Sed aliis

*) Posteriores vero non solum copulae inserendae studiosiores fuerunt, sed etiam alia vocabula, quibus comprehendendi vis subiecta est, talibus locis creberrime adiunxerunt, velut ‚pariter‘, ‚simul‘, cfr. Valer. Max. 3, 8 prol. 3, 3, ext. 3, 4, 6, ext. 2, item Sext. Aurel. Vict., Justinus multis locis, Sidon. Apoll., ubi contraria vocab. coniunxit.

locis Cicero asyndetis, velut „prope longe, ante post“ usus est aliaque vocabula, quibus, ubi conexas sunt singula et sola, neque ipse neque ullus scriptor ullo loco coniunctionem dempsit ac quae omnino non obtinebant proverbii locum, dissolute dixit, ubi iuxta composuit asyndeta bina. Si enim duo plurave membrorum vel articulorum paria ex ordine quodam collocata unum post alterum sequuntur et quasi continuantur, creberrime dissolute dicuntur [nec vero ἀσυνδέτως posita eadem vocabula aliis locis inveniuntur]. Hoc illustratur his exemplis: Cic. ac. prior. 2, 40, 125: supra infra —, de fin. 2, 12, 36: dulce amarum —, top. 11, 49, cfr. Liv. 8, 34, 10. 9, 14, 11. Ita non solum duo contrariorum paria, sed etiam ea quae significationis propinquitate inter se coniuncta sunt vocabula bina iuxta composita esse sine particula iam Heraeus ad Tac. hist. 1, 3 demonstravit. [Alia exempla: Cic. in Caec. div. 12, 37, in Verr. II, 5, 8, 21, Liv. 38, 43, 5. 2, 58, 7]. Sin autem sive ipse Cicero sive alius scriptor eadem vocabula singula usurpasset, certe coniunctionem interposuisset. Hoc testantur hi loci: Varro r. r. 1, 35. 3, 9, Caes. b. civ. 1, 64, Sen. n. qu. 1, 8, 3, Plin. n. h. 36, 15, 107, Colum. r. r. 11, 1 extr., Flor. 1, 22 (2, 6), 58, Pallad. r. r. 5, 8, Cels. med. p. 252, 18. 37, 20. Apul. de mag. 82, 566, Jul. Paulli sent. 4, 11, 7 Huschke, Pacat. pan. 12.

Hac igitur re cogimur asyndeton illo loco defendere. Proverbii autem locum insuper obtinent: „ultra citra commeari.“

Nunc vero aliam afferat aliquis causam, qua impelli possimus ad asyndeton illo loco aspernandum. Nam ex duobus quorum alterum consequitur alterum paribus membrorum saepe a multis scriptoribus alteri coniunctio dempta alteri addita est, velut iam a Terent. Eun. 72: prudens sciens, vivus vidensque. [Cfr. Jacobs. ad Sall. Cat. 6, 1, Kuehner. l. gramm. ed. mai. II, 2, p. 750, Naegelsb. l. de arte lat. scr. § 173, 2 (ed. quinta)]. Atque hanc varietatem eloquendi, ex qua bis binorum membrorum altera dissolute dicta altera copulata ponebantur, schema rhetoricum esse putatum est.*) At e contrario haec

*) Breviter commemoro rarissime etiam alterum ordinem servantes scriptores priori membrorum pari coniunctionem addidisse, posteriori non item, velut Quintil. 7, 4, 2: „facienda ac non facienda, appetenda vitanda.“ Sed si unum vocabulum pro „non facienda“ ille usurpasset, „ac“ omissurum fuisse eum verisimile est. Sed: „factum non factum —“ M. Anton. ap. Quintil. 3, 6, 45.

quae sequuntur exempla eandem vim auctoritatemque ut illa habent. Per multis locis, ubi duo paria ita, ut alterum ab altero exciperetur, componebantur, alterius paris ipsius vocabula dissolute dicta sunt, velut iam a Plaut. Merc. 5, 1, 3: ,usus fructus, victus cultus', a Cic. ac. prior. 2, 9, 29, cfr. Cic. de off. 3, 5, 23. 3, 17, 70, or. ad Br. 3, 10, in Verr. II, 4, 54, 120. 2, 55, 113, ep. ad Qu. fr. 2, 10, 1, parad. 6, 2, 46, de fin. 2, 8 25: ,male prave —' [cfr. ,misere male' Plaut. Bacch. 934, sed ,male ac misere' Gell. 9, 15, 9], ad famil. 16, 4, 3, de leg. 3, 3, 7 [item a Liv. et Tac.].

Horum locorum similitudine concludimus asyndeton illo loco Cic. iure meritoque defensum esse.

At rectissime iudicant homines docti [velut Seyffertus] negantes asyndeton ,ultra citro' dictum esse ,probe ac vetuste' [a summis auctoribus]. Nam ex illo loco [de deor. n. 2, 33, 84] exile tantum argumentum duci potest, cum duo membrorum paria dissolute dicta sint. Maioris autem momenti esset scilicet illud exemplum, si ,ultra' et ,citra' sola dissolute essent dicta.

Tum in Cic. 1. de off. 1, 17, 56 est locus in controversiam deductus. Beierus copulam ,et' delevit, cum ,ultra citro' dictio proverbialis esset.' Sed illam lectionem cod. optimorum ,u. et c.' retinendam esse opinor [cfr. C. F. W. Müller; et O. Heine quint. ed.], nisi forte quis demoustrat ,ultra citro dare accipere' proverbii locum obtineret, cfr. Digest. 2, 13, 6, 3. Si enim omnes locos, quibus Cicero illa verba dixit, conquisitos ad cod. optimorum fidem recensueris, apparebit illo uno loco (de deor. n.), quo duo membrorum paria dissolute dicta sunt, asyndeton cod. optimorum consensu comprobari. Zumptius autem existimavit, cum in altero cod. ,et' in altero ,que' scriptum exstaret, ipsa exemplarium varietate utramque copulam reddi suspectam; nec certiore lectionem aliis locis esse. Sed etsi codices incertum relinquunt idque sex septemve locis, utrum ,que' an ,et' scribendum sit, tamen multum abest, ut particula omnino omittatur. Si non eandem, at certe omnino particulam scriptam habent fere semper talibus locis.

Praeterea autem asyndeton ,ultra citro' cod. optimorum consensu comprobatum his undecim locis defendimus: ap. Liv. 9, 45, 2, in coll. funerat. Lanuv. (Bruno f. i. R. a.),

ap. Plin. n. h. 19, § 5 (portet). 35, 12, 161 (portantur).*)
2, 38, 104, ap. Sueton. Calig. 19, ap. Vitruv. de arch. 5, 4,
2, ap. Festum (Brunn p. 207 sub ‚tabellae‘), in Digest. 2,
13, 6, 3, ap. Apul. m. 8, 22, 567, de dco Socr. 6, 133.
[Krebs affert Cic. somn. Scip. 1, 1, sed h. l. ‚u. citro que‘
legendum est].

Copula ‚que‘ servatur a cod. opt. his locis: ap. Cat.
r. r. 33 (23, 17, cfr. Plin. n. h. 17, 22, 195), ap. eund. in
or. pro Rhod. ap. Gell. 6 (7), 3, 26, ap. Cic. ter, ap. Liv.
quaterdecies [Weissenb. et Madvig. omnibus locis consentiunt
de coniunctione addita], ap. Caes. bis, ap. a. b. Afric. bis,
ap. a. b. Hisp. 22, 3, ap. Sen. philos. quater, ap. Plin. n.
h. bis, in Digest. bis, ap. Justin. inst. ter, ap. Gaium inst.
3, 24, ap. Front. bis, ap. Apul. m. 1, 5, 26, ap. Ammian.
Marcellin. undecies, in Aulularia s. Quer. Peiper p 37, 12.

Particulam ‚et‘ tuentur cod. opt. ap. Cic. ter; ap.
Gell. 9, 12, 17.

Particula ‚ac‘ invenitur apud solum Varron. r. r. 3,
5, 16.

‚Ultrō atque citrō‘ autem nusquam inveni.

Has tot locutiones [‚u. citrō‘, ‚u. c. que‘, ‚u. et c.‘ con-
iunctas cum verbis: ‚commeare, portare, mittere, iactare, ferre,
dare, habere, versare, cursare, discurrere, dicere, ducere, agi-
tare‘] — id quod Klotzius (in lex.) dixit — in cotidianum
sermonem receptas fuisse videri ita, ut tamquam statae et
ratae formulae fierent, vix pro certo affirmari potest, si re-
putaveris illa duo vocabula cum tot tamque variis verbis
conexa esse. Nimirum per se illa verba ‚ultrō citrō‘, ‚u. c.
que‘ (‚u. et c.‘) sollemnia facta sunt procedente tempore; sed
cūm iisdem verbis rarius item coniuncta invenimus, quam ut
dicere possimus cum illis quidem conexa sollemnem effecisse
formulam (cfr. ‚u. c. commeare‘, ‚u. c. que comm.‘, ‚u. ac
c. comm.‘)

Cum id, quod Handius dixit ‚nullo loco Cic. aut Caes.
aut Liv. consentire codices in ommissa copula‘ negandum sit,
tum equidem nolim assensione comprobare illam sententiam,
qua existimat formulam ‚ultrō citrō‘ [ex cotidiani sermo-
nis usu] a scriptoribus aetate inferioribus [demum]
acceptam esse. Apud Plautum, Ter., Enr., Naev., apud hos

*) Quo loco cum nullius rei nisi celeritatis aut brevitatis dicendi
causa et ‚que‘ [post ‚terras‘] omittatur neque praepositio ‚per‘ repe-
tatur, as. ‚ultrō citrō‘ accommodatissimum est sententiae et confirmatur
ipsis vocabulis quae antecedunt ‚per maria terras‘ dissoluta dictis.

quidem omnes non inveni eam scriptam neque magis in inscriptionibus antiquissimis, quamquam omnes perscrutabar. Vetustatis autem color inest in illa vel ideo, quod forma ,citro' apud illos quidem scriptores, quorum libri salvi nobis traditi sunt, nusquam invenitur nisi in illis locutionibus. Itaque formulam illam, cum medio tempore omnino non comparuerit, a Liv. quidem et Cic. et posterioribus ex antiquae aetatis sermone sumptam esse existimarem, nisi haec sententia abhorreret a Ciceronis et Liv. praeceptis [cfr. Sen. contr. 9, (25), 26]. Sed iam Plauti aut Terentii tempore ab usu cotidiani sermonis, cum trita quodammodo esset, intermissam vel exoletam fuisse eam probari non potest. Multas autem locutiones, potissimum easdem, quibus iurisconsultos postea usos esse videmus, certe putandum est ex antiquissimi temporis sermone cotidiario originem traxisse easdemque, quamquam interiecto tempore usurpatae esse non invenimus, integras diutissime permansisse, cum conservandi sui custodia in sermone usitato inesset. Sermonem enim plebeium per saecula obtinuisse et valuisse, etsi sermo accuratus et politus procedebat et progrediebatur, satis constat. Ex mero igitur silentio scriptorum ne illud quidem concludi potest eiusmodi formulas non in frequentem usum venisse aut ab usu cotidiani sermonis brevi intermissas esse, nam testimonia illorum, ut tam multa et alia, per temporis iniquitatem fieri facile potuit ut perirent. Cfr. ,plerique omnes', quae verba ap. Plaut. et Terent., ap. Front. et Gell. usitata erant; interiecto autem tempore usurpata esse demonstrare non possumus. Illa igitur Handii verba emendanda erant, etsi certius quidquam in hac re vix afferri potest.

Antiquissimus autem locus, quo ,u. citro que' inveni, est ap. Cat. r. r. 33.

Sed optimorum scriptorum nemo asyndeto ipso ,ultra citro' crebro usus est, nam et ap. Cic. et ap. Liv. uno loco scriptum invenimus, Tacitus autem et Ovid. et Horat. et Quintil. prorsus aspernati esse illud videntur. Quod autem a Tac. et a Quintil. spreum est, non est mirum, quandoquidem neuter sollemni asyndeti generi favebat et ,huc illuc', ut iam dixi, idem quod ,ultra citro' valens ap. Tac. compluribus, ap. Quintil. semel scriptum legimus.

Quod ad collocationem illorum adverbiorum atti et, ordo ,ultra citro' proprius eorum est ita, ut ,citro' semper post ,ultra' positum sit neque unquam ei antecedit.

Breviter denique commemoro nihil offensionis habere quod Schorus (phras. ling. Lat.) [ultra c. que' compluribus citans] asyndeti, n. c.' exempla non attulit, quippe cum nullos locos nisi Cic. commemoraverit.

[Mentionem h. l. iniciam, ultra citra' asyndeton me non invenisse, sed, ultra citraque' saepe].

De ,extra intra' bis a Plin. mai. hac forma dicto cfr. quae supra dixi et sen. cons. ap. Frontin. de aq. duct. c. 106: ,intra extra urbem', ibidem cfr. c. 108 et 127.

,Huc illuc' = ad hanc et illam partem [cfr. Sen. dial. 5, 6; 6: in hanc aut ill. p., benef. 4, 33, 3, n. qu. 3, 25, 8, epist. 74, 8] vel = ad hunc et illum locum.

Hoc asyndeton significat saepe iter vel locum incertum, crebro pro ,in utramque partem' usurpatur, nonnunquam pro ,quocumque'; translatum autem varietatem et inconstantiam declarat [cfr. Cic. de orat. 1, 40, 184].

Inter se coniunguntur haec adverbia per partic. et copulativas ,et atque' et disiunctivas ,vel, ve, (aut)', eademque per ,modo — modo, nunc — nunc, tum — tum, iam — iam'. Sed per ,aut' semel positum illi duo articuli, etsi saepe ii sunt, quorum posteriorem priori convenire cogitari non possit, non inveniuntur conexi, cum ,aut', si non positum nisi posteriore loco, priore autem omissum est, exclusionem minus definite significet. Hoc autem haud scio an casu et fortuito evenerit. Nec vero magis mirum est, quod per ,aut — aut' uno loco illa adv. conexas inveni. Nam cum saepissime ,huc illuc, h. atque ill.' (aliaeque formulae) prius indefinite dicerentur [pro ,in utramque partem'], saepius per ,vel' (vel — vel') et per copulat. part. coniungebantur quam per ,aut — aut'.

Crebro cum ,huc illuc' verba, quae motum declarant, velut ,trahere, volitare, meare, cursare, agere, versare, fluctuare' coniungi constat.

Apud Plaut. et Terent. formulam ,huc illuc' non magis quam ,ultra citra' scriptam invenimus. Mirum hoc est, praesertim cum uterque fautor asyndeti bimembris videatur. Cfr. autem Plaut. Aulul. 4, 1, 21: hinc ego et huc et illuc

potero, deinde Cayt. 370, Trucul. 1, 1, 17, Enn. trag. 259 (ap. Gell. 19, 10, 12), Ter. Andr. 266: huc vel illuc. Ex quibus quasi principiis et vestigiis illius asyndeti recte colligat quispiam asyndeti ipsius formam Plauto aliisque vetustioribus nondum [in illis verbis] usitatam fuisse. Huius igitur locutionis alia est ratio ac formulæ ,ultra citro'. Neque enim illius ,u. citro' vestigia aut indicia ex antiquissimo tempore exstant.

In frequentem autem usum venisse ,huc illuc' inde ab Ovidio demum et a Vergilio ex illis quæ nobis sunt tradita exemplis demonstrare licet.

Ut ,ultra c.' ita ,huc illuc' uno loco Cicero dixit (ad Att. 9, 9, 2: cursem h. ill.). Ob hanc autem unam causam, quod verba ,huc illuc cursare' in proverbii consuetudinem videntur venisse, illum hoc loco asyndeto usum esse non potest effici ex altero loco Cic. (de deor. n. 2, 44, 115: h. et ill. — curs.). Nam huius ,et' ratio repetenda est ex apta membrorum compositione et æquabilitate [h. et ill., casu et tem.].

,Huc vel ill.' ap. Cic. non inveni, sed etiam ,h. illucque', quod ,duriusculum' videtur, vitavit propter soni asperitatem.

Ut Cicero ita Livius uno loco ,huc illuc' usus est (7, 34, 9).

Usitatius autem asyndeton illud fecerunt ex solutæ orationis scriptoribus: Tac. et Plin. mai.: Tac. ann. 6, 56. 4, 5. 12, 34. 15, 50, hist. 1, 40. 1, 76. 3, 3. 3, 73. 4, 46. 5, 20, Plin. n. h. 2, 45, 116. 36, 1, 2. 33, 4, 68.

Sed: ,huc(que) et illuc' [,que' copulat sequentia verba cum antecedentibus] Tac. ann. 13, 37 et 15, 38; ,huc atque ill.' Agric. 10, hist. 1, 85 [et h. a. ill.]; ,huc modo modo ill.' ann. 12, 1, ,huc vel ill.' hist. 3, 22.

,Huc et illuc' a Tac. non dictum esse nisi ubi enunciationem sequentem cum antecedente particula ,que' coniungeret Woelfflinus (philol. 25, 125) demonstravit. Similiter Amm. Marcell. (21, 10, 4): ,hinc que et inde' dixit, aliis autem permultis locis ,hinc inde', cfr. Cels. med. p. 325, 1: ibique huc et illuc. Quod igitur Tac. illis duobus locis (in ann.) asyndeton sprexit, non mirum est. Ob illam autem a Woelfflino allatam causam nequaquam memoratu dignum est illos locos, quibus ,huc et ill.' invenitur, novissimos esse, sed magni momenti videtur, quod antiquissimo ipso loco [Agric. 10]: huc atque ill.' ille dixit. In hist.

1, 85 autem ,atque' sane excusari potest, cum antecedit particula ,et' (et huc atque ill.). Sed cum ,atque' in eadem formula in Agric. 10 scriptum legamus, illius quam in prioribus libris colebat elocationis propria formula ,huc atque ill.' videtur fuisse. Tacitum igitur mutasse formulam opinor: prius ,huc atque ill.' dicebat, postea asyndeto favebat, nisi forte conicere velimus media sola aetate dissoluto eum esse suffragatum.

Concedendum est sane illis novissimis locis (in ann.) eum non potuisse quin particula ,et' uteretur. Quis enim negaverit ,huc que ill. que' aequè vitandum fuisse ac ,huc que atque ill.'?

Tum asyndeton illud scriptum legimus apud solutae orationis scriptores: Petron. sat. 114, Quintil. 10, 7, 6, Plin. epist. 2, 17, 9, Sen. benef. 5, 25, 4, epist. 28, 3. Ex poetis Ovidius (sexies) et Vergilius (quater) asyndeton illud frequentaverunt, ofr. Stat. silv. I, 3, 72 B., anth. l. R. f. II, c. 916, 14, ap. Sil. Ital. bis ,huc illuc', ap. Tibull. semel (1, 3, 70), ap. Sen. in Troad. 1058 asyndeton invenimus, ap. Horat. autem uno loco ,huc et ill.' scriptum legimus, asyndeton non item.

,Huc atque illuc' invenimus: ap. Cic. ter, ap. a. b. Afr. 73, 3, ap. Liv. quater, ap. a. epist. ad Caes. s. de rep. 2, 11, 1 Jord., ap. Sen. rhét. semel, ap. Sen. phil. ter, ap. a. fab. Agam. 386, ap. Petron. bis, ap. Quintil. 12, 10, 62, ap. Val. Max. bis, ap. Vell. Paterc., Gell., Apul., Mamertin., Cyprian. semel, ap. Arnob. et Cels. med. bis, ap. Lactant. quinquies.

,Huc et illuc' scriptum legimus: ap. Cic. novies, ap. a. ad Herenn. bis, ap. Sall. Jug. 60, 4, ap. Hor. od. 4, 11, 9, ap. Sen. phil. quinquies, in inc. Agam. semel, ap. Cels. med., Mart., P. A. Flor., Amm. Marc. semel; ,huc et illo' ap. Sen. phil. bis.

,Huc illuc' que', quod a compluribus ex Plin. n. h. affertur, equidem nusquam inveni, ne illis quidem ab iis allatis locis. Illos autem locos, quibus ,huc' et ,illuc' cum modo — modo, iam — iam (ap. Flor. solum 1, 33 (2, 17), 8), nunc — nunc, et — et, vel, vel — vel, aut — aut (Sen. n. qu. 2, 11, 2), ve' [apud Cels. med. quater] coniuncta sunt, h. l. commemorare nihil attinet.

Poetae pro ,huc — illuc' etiam ,huc — huc, illuc — et illuc' dicebant. Sed apud eosdem usitata (eaeque geminata) verba: ,huc, huc', quae ad augendum et cumulandum valent, non ἀσυνδέτως posita sunt.

Seyffertus (ad Cic. Lael. 22, 85, cfr. C. F. W. Müller) opinatus est eandem, quae locutionis, ultro citro' esset, rationem formularum ,huc illuc' et ,hic illic' esse — illas (ἀσυνδέτως positas) poetarum proprias esse, ipsum Ciceronem dixisse ,huc et' vel ,atque ill.:'; sed opinione hac labi illum ex eo quod dixi iam potest intellegi. (Cfr. autem ,hic illic').

,Hinc illinc' dicitur pro ,multis ex partibus' vel pro ,ab utraque parte', ,ubicunque', ,undecunque'.

Usi sunt hoc asyndeto: Ter. Ad. 673 (674), Lucret. 5, 881, Catull. 68, 133, Sen. Thyest. 155. 555, Med. 108, inc. a. f. Herc. Oct. 1033. 1396, Mart. epigr. 3, 63, 9, cfr. anth. lat. Riese f. I, p. 80, 248 [insigne ex.] et f. II, p. 335, 15 [gravius etiam]. Aliud exemplum invenimus ap. Cic. Univ. 14. Quodcum asyndeton ,hinc illinc' optimis aliis scriptoribus non probatum sit neque apud ullum solutae orationis scriptorum inveniatur nisi ap. Sen. dial. 7, 25, 3, tamen legendum mihi videtur illo Cic. loco: ,hinc illinc', quae lectio unius quidem, sed optimi cod. (A) auctoritate adiuvetur [ceteri praebent: que, Baiter — Kayser: ,hinc illinc']. Apud Florum autem 2, 13 (4, 2), 44 utrum cum Halmio legendum sit ,hinc vel illinc' an cum Seibtio ,hinc illinc' iniudicatum relinquere nolentes conicimus, cum Halmius de illo l. in adnot. crit. non disputaverit, meliores cod. exhibere ,vel'; atque haec lectio est retinenda. Etiam Sen. phil. in oratione soluta aliis locis asyndeton vitabat, in tragoediis autem saepius invenimus. Itaque hoc asyndeton poetarum potissimum proprium videtur fuisse, ex qua re non necessario concludendum est illos Cic. et Sen. locos esse mutandos.

,Hinc atque illinc' invenimus ap. Liv. quinquies, ap. Verg. georg. 3, 257, ap. Sen. phil. septies, ap. Petron. bis, ap. Val. Max. 3, 8, 3, [cfr. Nipperdey ad Tac. ann. 13, 38]. ,Hinc et ill.' scriptum legimus ap. Plaut. Amph. 229, ap. Sen. phil. bis, ap. Plin. mai. bis, cfr. Sen. Phoen. frgm. 74 (431). Praeterea invenimus ,et hinc et ill.' [ap. Plaut., Mart., Sen. phil.], ,nunc hinc nunc ill.' [ap. Lucret. et Verg.], ,hinc vel ill.' [ap. Tac. ter], ,hinc aut ill.' [ap. Liv. et Plin. mai.].

Poetas, praesentibus rebus delectatos, ut ,huc — huc' pro ,huc — illuc', ita ,hinc — hinc' pro ,hinc — illinc'

dixisse et composuisse verba ,hinc atque hinc', quae imitati sunt scriptores solutae orationis a Livii tempore, ex Handii Tursell. cognovimus. [,Hinc atque hinc' ap. Verg. septies, ap. Ovid. fast. 1, 135, ap. Sil. Ital. sexies, neque rarius ,hinc et hinc'].

Quemadmodum ,hinc illinc', quod esse potest scilicet ,hinc et ill.' atque etiam ,h. vel ill.', ita ,hinc' et ,inde' dissolute dicebant scriptores. Sed cum Tac. in hist. 4, 62 (uno loco) ,hinc inde' dixerit, nemo autem, qui ante eum erat, illam formulam neque ἀσυνδέτω; positam neque coniunctione addita scripsisse videatur nisi Sen. n. qu. 3, 16, 4: ,hinc et inde', illam [Senecae et] Taciti demum tempore in usum venisse existimo, nisi forte illa tragoedia, quae Herc. Oetaeus inscribitur, priore tempore orta est. In hac fab. 1033 et 1396 legimus scriptum: ,hinc illinc', sed 1754: ,hinc inde'. Itaque adverbii ,illinc' vice, quod non solum apud vetustissimos, sed etiam apud optimos in illa formula usurpatum erat, apud posteriores ,inde' fungebatur. [Cfr. autem: anthol. l. Riese I, f. I, p. 73, v. 56 et 57, et locos supra allatos]. Sed quibus ex causis haec commutatio verborum et hic transitus, quem in illa fabula factum esse videmus, acciderit, non intellego.*)

Tacitus [hist. 4, 62], Sueton. [ter]; Plin. min. [ter], Palladius [quinqies], Apul. [in m. sexies], Ammian. Marcell. [duodecies], Sext. Aurel. Vict. [de v. et m. imp. 43 = undique], Dracont. [carm. min. 7, 30. 8, 454. 10, 525. et 565 de Duhn], Sidon. Apoll. [epist. 9, 10 Baret], omnino inferiores ,hinc inde' tamquam proverbio utebantur pro ,ab utraque parte, a quacunque parte' vel ,undique' et pro ,diversis ex partibus'; cfr. inc. Herc. Oet. 1754, Pacat. pan. Theod. d. 35, Apoll. hist. Tyr. p. 53 v. 21 Riese [bis], anthol. l. Riese f. II, p. 222, 23 et p. 229, 10.

,Hinc et inde' invenimus ap. Sueton. bis, ap. Sen. n. q. 3, 16, 4, ap. Plin. ep. 4, 5, 2, ap. Stat. silv. 4, 3, 63, ap. Sidon. Apoll. bis, in Dar. Phryg. de exc. Tr. h. bis, ap. Arnob. bis, cfr. anthol. l. Riese f. I, p. 211 v. 2 et f. II, p. 158, 707, 3. [Klotzius in lex. attulit l. Ammian. Mar-

*) „Commemorandum est hoc asyndeti exemplum referendum esse in numerum illarum paucarum coniunctione carentium locutionum, quae procedente tempore vicem praebebant earum formularum, quae priore tempore non dissolute dictae erant: antea dicebatur: „hinc (atque) et illinc“, postea: „hinc inde“. Cfr. „velim nolim“ et „plus minus“.

cell. 16, 2, 11: ,hinc et deinde', sed h. l. ,hinc' ita interpretari necesse est, ut tempus significet, cfr. cap. II].

,Hinc atque inde' scriptum legimus ap. Plin. min. ter, in incerti pan. Constant. Aug. d. 10, ap. Flor. 1, 1, 3, 3, ap. Stat. silv. IV, 1, 16 B., ap. Juven. 1, 1, 65, ap. Sulp. Sev. dial. bis, ap. Apul. de dogm. Plat. 2, 3, 225. Hoc uno loco Apul. ,hinc atque inde' scripsit, omnibus ceteris (sex) locis asyndeto usus est. Sed per aequa per iniqua coniunctionem ,atque' tenendam esse censeo. Neque enim semper hae de quibus disputamus locutiones proverbiales eadem forma ita scriptae leguntur, ut alia forma vel propter adiunctam particulam excludenda sit. Immo consulto ille ,atque' addidit propterea, quod formulam h. l. voluit valere: ,et ex his et ex illis rebus'. In hac igitur formula, quae h. l. graviter nervoseque dicitur, ille non extra illud ab Handio praescriptum egressus est [cfr. quae ad ,ultra citro' dixi]. ,Hinc inde' autem h. l. ne ideo quidem dixit, quod haec formula multo usu iam detrita et significatione vera ac propria orbata erat.

,Hinc inde que' invenitur quater ap. Ammian. Marcell.; ,hinc vel inde' ap. Plin. epist. 2, 17, 16.

Commemorandum est non solum in illa formula ,hinc inde' pro ,illinc' usurpatum esse ,inde', sed ubi ,hinc' et contrarium interpositis aliis vocabulis separata sunt, apud aetate inferiores non ,illinc', sed ,inde' inveniri, velut ap. Quintil. 2, 2, 5. 5, 7, 32 multisque aliis locis. Jam apud Liv. ,inde' solum positum fuisse pro ,ab illa parte' cognosces ex lexicis.

,Hac illac'.

Ut ,hinc illinc' ita ,hac illac' [pro ,utraque parte' vel ,quacunque via'] apud poetas potissimum et posteriores videtur usitatum fuisse et sumptum ex cotidiano sermone. Draegerum autem opinantem ,hac illac' ab Apul. solo usurpatum esse errare ex his exemplis cognoscimus: Ter. Heaut. 512, Petron. 57, [Apul. m. 8, 4, 516], sed iam Ter. Eun. 105 dixit: ,hac atque illac', item Veget. mulomed. 3, 28, Cels. med. p. 280, 13, in Aulul. s. Querol. quinquies eadem verba invenimus. Cfr. ,hac vel illa' Plin. epist. 2, 17, 18, ,sive h. sive illac' Tibull. 4, 1, 96, ,hac — hac' ap. poetas, velut ap. Ovid. amor. 3, 11, 34. ,Hac illace dape' autem ap.

Caton. r. r. 132 per asyndeton non dicta sunt, cfr. Haase ad Reisig. p. 376 adn. 378 b.

,Hic illio' pro ,multis locis' et pro ,ubique' Ovidii est proprium; cfr. m. 7, 581 et ex Pont. 1, 7, 58. Vestigia huius asyndeti invenimus ap. Plant. Most. 3, 2, 105: hic esse et illic, Truc. 1, 2, 57, Trin. 1109, ap. Varron. r. r. 3, 5, Lucret. 2, 575, Justin. hist. 4, 1. Plinius mai. et Sen. philos., aliubi atque aliubi' pro illa formula dicebant.

Tum autem non parvi momenti mihi videtur neque praetermittendum, quod pronominum ,hic' et ,ille' alii casus a Martiale [aliisque, ut opinor] sine particula conectebantur, cfr. epigr. 9, 29, 10: ,hos illos', 12, 60 b, 5, sed ,nunc has nunc illas' Martial. epigr. 9, 46, 3, cfr. 12, 67, 4. Pro ,hic et ille' [Plin. n. h. 16, 12, 60, Sen. n. qu. 5, 18, 16] et pro ,hic aut ille' [Sen. n. qu. 6, 1, 10] dicebatur aliis locis: ,alius atque alius' [,al. aliusque' Cels. med.], ,alter et alter' [ap. Ovid.], ,ille vel ille' [ap. eundem].

,Sursum deorsum'.

Cfr. proverbialem Graecorum locutionem ἄνω καὶ κάτω, vel ἄνω κάτω, quam Menandrum eximie adamasse Meinekius (Men. et Phil. p. 176) notat, cfr. lex. Pape. et E. Jahn. ad Plat. Protag. c. 37 (356 D) et c. 40 (361 C). Ex Graeco igitur sermone locutionem ,sursum deorsum' originem traxisse haud cunctanter confirmaverim. Metaphora autem haec Erasmo sumpta videtur a Sisyphi fabula saxum volventis apud inferos.

Simillima haec formula illi ,ultro citro' proverbii speciem habet et certe tribuenda est sermoni cotidiano et usitato non solum vetustioris aetatis [Ter. Eun. 278: ,surs. deors. cursites' = *durā diē und dinn, wie ein gejagtes Reh*] sed etiam inferioris. Dissolute dicta haec vocabula praeterea invenimus apud Cic. de deor. n. 2, 33, 84 [sed duo membrorum paria h. l. sunt ἀσυνδέτως posita, cfr. Cic. ad Att. 5, 10, 5], ap. Sen. epist. 44, 4 (= d'runter und d'rüber), ap. Plin. n. h. 24, 18, 168, ap. Cels. med. p. 325, 26 Drmbrg., in Aulul. s. Querol. p. 29, 19 Peiper. Sed ,sursum a c deors.' ap. Sen. phil. quater invenimus, ap. Plin. n. h. 20,

1, 5, ap. Tuber. in hist. ap. Gell. 7 (6), 4, 3; ,s. et deors.⁴ ap. Quintil. 11, 3, 105; ,s. deors. que⁴ ap. Cels. med. p. 48, 34, cfr. Apul. de dogm. Plat. 1, 8, 198, Lucil. rel. sat. 27, 24 (Gerlach), Cels. 2, 8 p. 72.

Quamquam in vocabulis ,sursum⁴ et ,deorsum⁴ ipsis ,versum⁴ inest, cum ,sursum⁴ contractum sit ex ,sub(sus)⁴ et ,versum⁴, ,deorsum⁴ ex ,de⁴ et ,versum⁴, tamen utrumque cum ,vorsum⁴ saepissime coniungitur, velut ap. Ter. Ad. 575, ap. Varr. l. l. et r. r. saepe multisque aliis locis. Illa enim vocabula cotidiano usu iam detrita et quasi orbata erant vera potestate et sententia; itaque propriae significationis restituendae causa ,versum⁴ auctores addebant. Pari de causa dicebatur: ,rursum vorsum⁴ [Plaut. Epid. 2, 2, 65 (63); quid? quod idem in Amph. 5, 1, 63 (1112): ,recessim rursum vorsum⁴ dixit]; ,versum⁴ autem haud ita pleonastice neque illis verbis neque huic addebatur, sed procedente tempore necesse videbatur ,versum⁴ ex illa quam attuli causa adiungere. Cfr. ,undique versum⁴, [u. secus], ,utrimque secus⁴; Apul. m. 4, 3, 242: ,retrorsus — rursus — me recipio⁴.

Idem ut ,sursum deorsum⁴ videtur principio significasse: ,susque deque⁴, de quo vide Gell. 16, 9, sed hoc fere semper translate dicitur. Ad illos quos Gell. attulit locos adiungo: Plaut. Amph. 886, Cic. ad Att. 14, 6, 1 [,susque deque⁴ ex coniectura, simul auditur ,fero⁴ vel ,habeo⁴]. Apud posteriores ,susque deque⁴ non inveni; itaque ille Cic. (ad Att.) locus, si coniecturam illam, quae confirmatur Gellii verbis: ,in epistulis veterum scriptum est plurifariam⁴, sequi licet, novissimum praebet exemplum illius locutionis.

,Que⁴ a poetis saepe utrique duorum membrorum, quae aequae distant et iuxta collocata sunt, adiunctum esse satis constat. Sed cum Lucil. sat. rel. 3, 6 (p. 10 Gerl.) inter ,susque⁴ et ,deque⁴ interposuerit ,et⁴, facile quispiam conferat in eum hanc suspicionem illa verba duo ,susque deque⁴ non ἀσυνδέτως posita esse ignorasse illum quidem. Sed neque hoc vere dictum est neque illud haec ,susque et deque⁴ poetam dixisse audacius. Immo vero eo, quod ,et⁴ adiunxit, inlustrare voluit quae proxime antecedunt verba ita collocata: ,susque omnia deque fuere⁴. Hoc igitur ordinē haec verba se consulto collocasse ,omnia⁴ inter illa interposito significare voluit eo, quod repetivit: ,susque et deque fuere⁴.

,Rursum prorsum' [= *hinc und her*, simillimum est formulae ,surs. deors.'].
Scriptam legimus hoc asyndeton, quod obtinet locum proverbii, ap. Enn. trag. rel. 143 (104), ap. Ter. Hec. 315, sed iam Varro sat. Men. 5, 5 [7, 5 Riese p. 101]: ,rursus ac prorsus'. Ex quo exemplo perspicere possumus procedente tempore et sensim iis formulis, quae vetustiore tempore per asyndeton dicebantur, coniunctionem adiunctam esse. Causam autem, ex qua hoc fiebat, iam supra attuli.

Cum ,rursum prorsum' cfr. illud Front. exemplum (de bell. Parth. p. 218 Nab.): ,progredi remanere, porro retro, illic [istic]'.
Donat. ad Ter. Hec. 315 dixit: ,est proverbiale, ut dicimus ,surs. deorsum', ,intro foras', ,hac illac' et similia.' Sed ,intro foras' nusquam inveni. Itaque nisi Donatus ipse haec dixisset, analogiam aliarum formularum secutum esse illum, qui diceret haec, opinarer. Nam omnino multi ad asyndeti sollemnis exempla similitudine aliorum concludenda admodum propensi sunt. [Sed de iis tantum dissolutis disputaturus sum, quae plus semel scripta legi].

,Communis minus'.

Ter tantum hoc asyndeton, quod translatum est a bello, traditum inveni: ap. Liv. 21, 34, 6, ap. Tac. hist. 2, 42, ap. Pacat. 36 (Baehrens), duobus autem horum loc. [Tac. et Pac.] plura membrorum paria dissolute dicta sunt, cfr. quae supra dixi. Sed idem Liv. et Tac. illi formulae iam coniunctionem addebant: Liv. 31, 24, 15. 21, 5, 14, Tac. Germ. 6.

Ubi ,comm.' et ,em.' non copulata sunt composita, videntur fere significare: ,undique' vel ,ubique', sed ubi coniunctio addita est, plerumque valent: ,non solum comm. sed etiam emin.'*) Haec autem eadem sententia subiecta est illi Tac. Germ. 6 l., ubi per ,vel comm. vel em.' pluribus explicantur antecedentia verba: ,prout ratio poscit.' In hoc igitur exemplo discrimen illud, quod Handius statuit inter

*) Ex qua re sola facile cogi potest asyndeton ,comm. em." unitatissimum fuisse, etsi in iis qui salvi nobis traditi sunt libris raro scriptum legimus.

,ultra c.' et u. c. que', valet. Sed minus gravis causa haec quidem est quam illa ad ,ultra c.' allata: scriptores sententiae, quam haec formula principio continebat, eo quod ,que' vel aliam particulam addebant, cum illa trita esset, suum tribuere volebant, quasi quid de vi et potestate verborum detractum esset per asyndeton. Cfr. denique cum hoc as.: Curt. 6, 1, 4 F.: ,nunc comm. nunc em.' et Plin. n. h. 28, 4, 36: ,em. comm. ve'.

,Procul iuxta' scriptum legimus in epist. Mithrid. § 17 (Sall. Jord.): ,socios amicos, procul iuxta sitos —'; quamquam autem alio loco non inveni, tamen proverbialem esse locutionem existimo.

,Clam palam'.

Sueton. Dom. 2: ,clam palamque, quoad'. Quod perspiciam ex adnotatione crit. Rothii, h. l. ei optimi cod. vitiosi esse ac necessario deserendi visi sunt, nam protulit lectionem cod. saec. XV: ,palamque cod. Bern. Frib. Basil. al. Edd.' Cfr. enim quae Rothius in praef. p. 37 dixit: ,ubi Memmianus aliive' et cet. Sed non dixit, quidnam illo difficili loco ,boni' libri praebeant. Pauci autem cod. melior. ,clam palam' exhibere videntur, nam complures edit. hanc lectionem praebent, et Rothius ipse p. 49 praef. dixit: ,et palam Med. III pro ,palam'; ,palam' igitur sine ,que' videtur in cod. scriptum fuisse. Itaque illas conjunctiones ,que', [quam rec. cod. habent], et ,et', [quam Med. III exhibet,] tollendas esse existimo.*)

Hoc quidem asyndeton alio loco non invenitur scriptum, sed comparatum cum multis eiusdem generis asyndetis haud dubie licitum est. Quamquam h. l. non praetermittimus, quod eae particulae, quae modum quaeque tempus significant, multo rarius dissolute scrip-

*) Parum sane accurate de hac re Rothius scripsit; utrum enim haec verba ,et palam Med. III pro palam" [pag. 49 praef. ad 242, 27] pertineant ad Jul. Caes. 80 (32, 32) an ad nostrum locum (Domit. 2), evidenter intellegi non potest.

tae inveniuntur quam illae, quae locum declarant.

In Cic. autem de inv. 1, 27, 41: ,quae clam, palam, vi, persuasione fecerit' parva scilicet persuadendi necessitas inest ob illam causam, quam aliquoties iam significavi. Sed tamen ,clam palam' videtur defendendum esse, cum praesertim nequaquam abhorreat a Sueton. dicendi usu. ,Que' autem facile ex illo ,quoad', quod sequitur, ortum esse potest. Cfr. etiam Cic. ad fam. 8, 1, 4: palam secreto, ad Att. 1, 14, 4: aperte tecte. Sed ,clam palamque' Sueton. Jul. Caes. 80, cfr. Enn. ap. Gell. 12, 4, 4, Liv. 23, 18, 9, Ammian. Marcell. 14, 9, 1. 15, 5, 28, Justin. inst. 4, 18, 6.

,Semel saepius'.

Hoc as. scriptum legimus in edicto imp. Aug. de aquaed. Venafr. (Wilm. 784), cfr. colleg. ap. Bruns p. 168 (coll. aquae): ,si semel si saepius'; et Arnob. Reiffersch. 1, 46: semel, iterum, saepius. Sed plurimis locis coniunctio non abest: et: ap. Varron. l. l. 10, 2, 163, ap. Cic. bis, ap. a. b. Hisp. 42, 4, ac: ap. Apul. m. 7, 3, 451, [,semel atque iterum' Caesar aliique dicebant].

Naturalem autem ac principalem formam, cuius prisca vetustas alliteratione comprobaretur, asyndeton ,semel saepius' fuisse videri Koehlerus in act. sem. phil. Erl. vol. I p. 442 recte iudicavit. Sed num idem asyndeton ex proverbio illo: ,quod semel, et saepius' [ap. Quintil. 5, 10, 90, cfr. 7, 8, 3] ortum sit dubitandum est. [Exemplis a Koehlero prolatis adiungo: Nep. Epam. 7, 3].

Jam transeamus ad substantiva.

,Diem noctem' (nocte die').

Hoc asyndeton traditum invenimus ap. Liv. 42, 54, 3 [cfr. Weissenb.] et ap. Cic. de div. 2, 27, 59; ceteris omnibus locis ,ac, que, et, atque' usurpata sunt. [,Diem ac n. ap. Liv. quinquies, diem n. que' ap. Liv. bis, ap. Cic. de leg. agr. 2, 26, 68, ap. Nep. Them. 8, 7, ,diem et n.' ap. Cic. ad Att. 16, 1, 2, ,dies n. que' saepissime, velut iam ap. Plant. Most. 1, 3, 78, ,noctes et d.' ap. Cic. Tusc. 5, 39, 113, ap. Ter. Andr. 676, ,dies atque n.' ap. Cic.]. Cfr. autem

b) de
substantivorum
asyndeto.

cum asyndeto illo: Liv. 26, 27, 4: ,nocte die' [in edit. mai. Weissenb. ,ac' praebet], et anth. l. Riese f. II, p. 130, 72: ,nocte die' et f. I carm. 261, 2, et Liv. 8, 34, 10: ,interdiu nocte —', sed h. l. plura membrorum paria sunt ἀσυνδέτως posita. ,Aestate, hieme, nocte, interdiu' autem ap. Quintil. 5, 10, 42 vix huc referri potest, cum illae quattuor notiones h. l. simpliciter enumerentur exempli causa. Sed cum ,aestate hieme' cfr. Plin. epist. 9, 40, 3 et Liv. 5, 6, 5.

Madvig. ad Liv. 33, 17, 10 dixit: ,de ea re, quae sine intermissione interdiu noctuque fiat, huius [Liv.] aetatis scriptores singulari numero ,die ac nocte' dixisse puto, non ,diem ac noctem', quod est per unum diem noctemque, ut 35, 40, 8' [d. noctemque]. Hoc quidem exemplum non abhorret ab hac interpretatione, sed in Cic. de div. 2, 27, 59 [mures diem noctem — rodentes] et in alios locos, quibus ,diem noctemque' scriptum legimus, [et in Liv. 26, 27, 4: nocte die] illa interpretatio minime quadrat. Sed Madv. promptissimus est ad salutem ferendam: in Liv. 33, 17, 10 ,d. ac noctem', quae verba cod. exhibent, mutavit in ,die ac nocte'. Sed 36, 25, 4. 42, 54, 3. 27, 45, 11 (aliosque) non depravare conatus est. Quid igitur faciamus Madvigii interpretatione, qua declaravit accusativum pro ablativo positum esse his tribus locis [non minus quam ap. Cic. de leg. agr. 2, 26, 68 et de div. 2, 27, 59] in incerto habemus. Si suis iudiciis stare ille voluisset, his omnibus locis mutanda fuit illa locutio, quoniam 33, 17, 10 nulla probabiliore causa ductus verba illa cod. mutavit. Neque enim illud quidem ut credamus adducimur illis sex septemve locis Livium et Cic. accusativo pro ablativo usos esse.

,Joca seria'.

Semel tantum hoc asyndeton scriptum legimus idque ap. Cic. de fin. 2, 26, 85: ,quicum ioca seria, ut dicitur' [sc. ,agimus' vel ,communicem']? Dicta sunt haec verba de amico coniunctissimo (= omnia sua cum aliquo communicare). Ex eo autem, quod adiunctum est ,ut dicitur', possumus colligere verba ,ioca seria —' formulam efficere pro-verbialem. Recte igitur Donatus ipse huius modi ferme figuras omnes [plerasque], quae nimirum constant ex contrariis, proverbiales esse existimavit. -- Sed nullo alio

loco ,ioca' et ,seria' invenimus dissolute dicta. Neque enim possumus illud Taciti ,per seria per iocos' [ann. 2, 13] revocare ad hunc locum, cum copulativa particula illo loco repetita praepositione ,per' supervacanea facta vel potius ideo, quod illa repetita est, dempta sit. [Cfr. Plin. epist. 2, 13, 5, Front. ad M. Caes. 1, 8 extr. p. 24 Nab., Sidon. Apoll. epist. 4, 1, trimembre: S. Aurel. Vict. de v. et m. imp. R. 14]. Sed aliis locis particula non abest: cfr. Plaut. Amph. 906, Liv. 1, 4, 9: ,seria ac iocos celebrare, 7, 41, 3, Sall. Jug. 96, 2, Quintil. 6, 3, 110, Front. ad amic. 1, 1 p. 174 Nab., eund. de fer. Als. p. 227, Justin. hist. 9, 8, Mamertin. pan. Genethl. M. 12.

,Ferro igni'.

Cfr. Liv. 1, 59, 1, 2, 10, 4, alibi non invenitur [,igni ferro flumine' in Aulul. s. Querol. p. 33, 29 P.], sed ,ferro atque igni' ap. Liv., ,igni atque f.' ap. Tac., ,ferro i. que' ap. Cic., ,i. f. que' ap. Vell. Patere. et Flor.

,Ferro igni, quacunque vi possim', quae verba a Liv. illis duobus locis per asyndeton bimembre ita dicta sunt, ut verbis ,quac. vi possim' comprehendantur illa ,ferro igni', formulam esse proverbialem conicimus. Num autem ,ferro igni' velustiorum scriptorum proprium fuerit et a Liv. solo quamvis priscum sit receptum dubito.

Asyndeton ,aqua igni' quod multi similitudine aliorum concluserunt [cfr. Cic. Lael. 6, 22], nusquam inveni.

,Terra mari'.

Idem Livinus hoc asyndeto usus est 41, 3, 1. 44, 22, 8, quibus locis asyndeto efficitur, ut augeatur vehementia orationis. Tum inveni idem ap. Flor. 1, 13, 6, sed duo asyndeta h. l. posita sunt [unum: mari terra, alterum: viris equis armis]. Cfr. in incert. Octav. 496: terras maria, Liv. 35, 35, 7, [35, 48, 2: que], Plin. n. h. 35, 12, 161, in Aulul. s. Querol. p. 29, 19: ,in terra in mari', Plin. pan. 4, Arnob. 2, 22, Tertullian. de an. 43, quibus exemplis illud quidem asyndeton confirmatur. Sed aliis permultis locis coniunctio addita est: ,terra mari que' ap. Liv. octiea, ap. Cic. ter, ap. Sall. Cat. 13, 3, ap. Sen. epist. 110, 13,

ap. Plin. n. h. 18, 31, 310, ap. Florum bis. Itemque .m. terraque, m. ac t., t. ac m., m. atque t., t. et m., et m. et t. [Corn. Nep. proprium] saepe inveniuntur.*) .

Num asyndeto **,domi belli^c**, quo Livium usum esse Draegerus [synt. h. l. L. II, p. 41] opinatur, ille re vera usus sit equidem dubito. Neque enim usquam inveni illud ap. Liv., nisi forte praeterii negligentia. [Klotz. in lex. perperam citavit Liv. 3, 63, 2]. Itaque Draegerus videtur mihi existimasse analogia aliorum dissolutorum [fortasse illius **,domi militiae^c**, quod ap. Cic. de imp. Cn. P. 16, 48 scriptum legimus, ubi duo paria conectuntur, alterum dissolute dictum, alterum coniunctione non carens] illa verba dissolute scripta inveniri. Sed aliis locis Cic. **,domi^c** et **,milit.^c** non dissolute dixit.

Alia substantiva, quae dissolute dicebantur, sunt: **,spes^c** et **,metus^c**, ac **,locus^c** et **,tempus^c**.

Haec in illorum quae adhuc attuli asyndetorum numerum ascribenda sunt, quod, si non ubique, at saepe ac principio proprieque diversa inter se singula sunt. Sed haud raro, si totius sententiae rationem respexeris, in notionem unam comprehendenda sunt eaque iusto iure. [Necesse autem esse illa in cap. I collocari non audeo dicere].

,Spes^c et **,metus^c** dissolute dicta sunt composita ap. Liv. 30, 32, 5. Madvigius quidem h. l. verba in **,spes** et **metus^c** mutavit, sed asyndeton aptissimum est, cum coniungendi vis in natura ipsarum rerum vel potius in sententiae ratione, h. l. eadem in verbo **,miscabant^c** insit. Cfr. Cic. Brut. 50, 188: **,— sperat timet —^c**, or. ad Brut. 38, 131: **,speret metuat^c**; neutro loco sola illa quidem sunt posita, sed complura diversorum paria adnectuntur; item Tac. hist. 2, 80, fab. Aulul. s. Querol. p. 19, 13, Quintil. 4, 1, 33, Sen. dial. 6, 17, 1, Hor. epist. 1, 4, 12, quibus exemplis asyndeton adiuvatur. Sed: **,spem metum que^c** Liv. 8, 13, 17.

*) Breviter dicendum est verba **,terra marique^c** paucis locis proverbiali figura dicta esse ad extremum conatum studiumque significandum.

l. 27, 45, 36, 10, 9, cfr. Tac. hist. 2, 2. 4, 59, Verg. Aen. 1, 218, Stat. silv. II, 2, 125, anthol. l. Riese p. I f. I p. 26, 67, Ammian. Marc. 21, 13, 1, Ov. fast. 3, 362, art. amat. 3, 477, Sidon. Apoll. epist. 2, 9.

„Locus“ et „tempus“ dissolute dicta invenimus ap. Ter. Eun. 541, ap. Sen. benef. 1, 12, 3, ap. Quintil. 7, 2, 44, in Digest. 14, 1, 1 pr. 48, 19, 16, 1. Cfr. Tac. hist. 2, 80: „tempus locus quodque —“; quo loco tempus et locus arctissime inter se cohaerent et quasi unam notionem faciunt. Apud Tacitum autem creberrime duo membra a tertio ita excipi, ut hoc adnectatur per „et“ vel „ac“ vel „que“, et ubi res ita se habeat, illa duo fere semper quasi in unam notionem coalescere recte docet Nipperdey ad Tac. ann. 2, 81.

Eadem vocabula aliquoties dissolute dicta sunt a Quintil., ubi plura membrorum paria coniunctione dempta composita sunt; cfr. 4, 2, 36 et al. l., item a Tac. ann. 2, 65, a Cic. de inv. 2, 50, 151, a Gaio 4, 53a, a Sall. Jug. 76, 1. Sed „loco et t. constituto“ Liv. 22, 22, 16, cfr. Sall. Jug. 113, 2, Gell. praef. § 10, Liv. 28, 35. 1, 9, 6. 33, 37, 7. 28, 33. 1, 24, 3, Digest. 46, 3, 39. 27, 1, 30. 26, 1, 3, 3. 35, 2, 63, 2. 13, 6, 5, 1. 13, 5, 16, 1, Sidon. Apoll. epist. 6, 3.

In horum autem asyndetorum numero referamus etiam **„dictum factum“**, licet hoc asyndeton [dictum factum] certe in altero capite poni possit, cum pro adverbio dictum sit; sed „dicta facta“, quae verba proprie diversa inter se sunt, in contrariorum vel certe diversorum numerum ascribi necesse est.

Asyndeton „dictum factum“ igitur ap. Terentium et vetustiores scriptores vim adverbii accipit [= quam ocissime]; quod scriptum legimus in Heaut. 904 = gesagt gethan vel eifigft. Proverbiali igitur figura dicebantur haec e cotidiano loquendi usu sumpta verba, ut celeritatem significarent. Sed „d. ac factum“ idem ille dixit in Heaut. 760 et Andr. 381 (380). Cfr. Schneider de prov. Plaut. Ter. que p. 24.

A. Spengelius ad Andr. 381 opinatur „d. ac f.“ h. l. significare Germanice: gesagt und auch schon gethan, id est: aequo cito factum est hoc ac dictum. Sed haec sententia illis verbis non posse subici videtur fortasse cuiquam, nisi tempus praeteritum verbi adhibitum est. In Andr. 381 autem

futurum exactum (invenerit) pro simplici fut. dictum est. In hunc igitur locum illa interpretatio minus cadere possit videri. Sed non dubito, quin hunc locum eodem modo [ut ille] interpretari liceat, si velimus audacem translationem inesse in illis verbis, ubi coniuncta sunt cum futuro tempore. Illam autem sententiam verba illa ,d. ac f.' declarare posse sine ulla dubitatione confirmaverim. Illud vero, quod dicitur: si coniunctioni ,ac' haec vis illic subiecta esset, verbo finito certe [propter plenam, ut ita dicam, adverbii ,dict. fact.' significationem] detractum esse aliquantum de vi et potestate, nequaquam probabile est, cum comici poetae verborum pondera parum diligenter examinarent. Ac pari de causa ne illud quidem concedi potest, ipsum Terentium, si illam sententiam, quam Spengelius verbis ,dict. ac f.' subiecit, in his inesse voluisset, fortasse pluribus vocabulis usurum fuisse, cum celeritas dicendi ad eiusmodi consilium non pertineret.

Sed ad aliam rem aggrediar: Terentius, ubi illa vocabula non adverbialiter proferebat, iis ,et' intermiscerat, velut in Eun. 941: ,dictis et factis'. Sed ab optimis et a posterioribus scriptoribus, ubi numero plurali posita illa erant, saepe dissolute scripta invenimus, velut a Cic. phil. 10, 9, 19 [quamquam ,omnia' comprehendit ,dicta facta', tamen asyndeton non sine effectu est], ab eod. de off. 1, 35, 126, ad fam. 15, 9, 1, a Liv. 28, 27, cfr. etiam Cic. de inv. 2, 40, 117 et Quintil. 10, 5, 10. Hoc igitur asyndeton [dicta facta], quod posteriorum paucis usitatum fuisse vidimus, in Terentiano ,dictum factum' resonat tamquam imago. Ex qua re intellegere possumus, quantam custodiam conservandi sui talibus formulis ingenuerit consuetudo. Sed plerumque illis vocabulis [quae saepissime scripta legimus] coniunctio addebatur ac creberrime quidem ,que', rarius ,ac, et, atque' [,ve, aut', cfr. Plaut. Amphitr. 169].

Naturalis ordo horum vocabulorum videtur esse: ,dicta atque [et, ac] facta [que]'; sed causa, cur alter ordo: ,fact. — dict.' crebrius usurpatus sit quam: ,dict. — fact.', ex vita et moribus ingenioque populi Romani repetenda est.

Duo adverbia, quae contraria inter se sunt, creberrime dissolute dici, ubi sollemniter componantur, intelleximus ex illis de quibus supra disputavi exemplis. Sed ut substantiva ita verba duo, quae diversa inter se sunt, composita rarius dissolute dicuntur.

,Ire redire'.

Haec verba dissolute dicta inveni ap. Cic. phil. 2, 35, 89: ,irent redirent', ibid. 2, 32, 78, ad Att. 10, 1, 3, ap. Ovid. fast. 1, 126, in anth. l. R. f. II, p. 242, 779, 6, ap. Stat. silv. I, 2, 35 Bæhr., ap. Martial. epigr. 12, 60 b, 4, cfr. Dracont. 7 (epith.), 76 de D., proverbii autem loco apud nos dici solet: ,ire redire fides solet per omnes regiones' [= treue Sand geht durch's ganze Sand]; sed unde haec verba sint sumpta, prorsus ignoro. Ille autem locus Horat. [epist. 1, 7, 55]: ,it, redit et narrat' huc non est referendus, cum hic ,it' et ,redit' non conficiant notionem unam, sed seiungenda sint; tria igitur membra h. l. exstant. Cum hoc asyndeto cfr. etiam Cic. ad Att. 15, 5, 3: ,itus reditus', sed duo paria h. l. composita sunt, tum ibid. 15, 11, 4: ,introire exire' [Varro r. r. 3, 7]. Apud alios scriptores non inveni huius asyndeti exempla.

e) de
verbo-
rum dis-
soluta.

Sed coniunctio addita est: que ap. Ovid. bis, ap. Sen. phil. bis, ap. Plin. n. h. 22, 24, 111, ap. Sidon. Apoll. epist. 1, 4 Baret, et: ap. Cic. phil. 12, 12, 28, in Digest. ter, ap. Justin. inst. 2, 1, 15, ap. Gaium 2, 68, ap. Phaedr. fab. 2, 7 (8), 12, cfr. Vitruv. 10, 13, 3, Plin. n. h. 8, 28, 103, Pallad. r. r. 7, 2, Ovid. trist. 5, 7, 14, epist. Sapph. (15), 118, Verg. Aen. 6, 122, Mart. epigr. 1, 48, 2, 6, 10, 8, Dracont. satisf. 86 et 244.

Similiter ,dare adimere' dissolute dicta conectuntur ap. Cic. pro Mil. 27, 73, iam ap. Plaut. Truc. 2, 1, 34 [demunt davunt], tum ap. inc. a. ep. ad Caes. s. d. r. 2, 3, 3, cfr. Liv. 38, 48, 4 et Tac. ann. 13, 56 et anth. l. R. f. II, p. 22, 114, sed: dando adim. que Liv. 1, 47, 6, similiter Ovid. m. 8, 615 et Hor. sat. 2, 3, 288, cfr. Liv. 26, 31, 9.

,Dare accipere'.

Apud Cic. de off. 1, 7, 22 et in Digest. 2, 13, 6, 3, 46, 4, 13, 8, 46, 4, 16, 1 haec verba dissolute dicta invenimus, cfr. Jul. Paulli sent. 5, 25, 2: ,pec. acceperit, dederit iudicemve — corruerit', quo loco non tria membra esse

statuimus, sed duo tantum: alterum continetur verbo ,acc.', alterum verbis ,ded. iud. ve corr.'; tum conferendum est cum hoc as. illud in frgm. iur. Rom. Vatic. de don. § 298 (Huschke): ,— donare capere' [cfr. § 309]. Ab illis autem quae primo attuli exemplis [Cic. et Digest. 2, 13, 6, 3] paulum adiumenti afferri propterea, quod utroque loco gerundium usurpatum est, in cap. II intellegemus.*) Quodcum concedendum sit aliis permultis locis coniunctionem non abesse [velut ap. Cic. de off. 2, 4, 15, ap. Enn. ann. 1, 154, ap. Plaut. Trin. 489], tamen ,que', quam coniunctionem ad Cic. de off. 1, 17, 56 cod. Bamberg. et Herbip. et duo Bern. exhibent, in ,quae' mutare cum Orellio optimum iudico ideo, quod ,que' ad verba ,datis acceptis' addere propter aliorum locorum similitudinem nequaquam opus est, tum quod ,que', quae coni. in uno Bern. et Ambros. omnino non invenitur scripta [,exceptis quae et' hi exhibent], et ,quae' facile confundi nemo non intellegit. Sin autem ,ultro et citro' et ,dat. acceptis' hae duae locutiones h. l. in aequo inter se ponendae essent ac nisi potius verba ,ultro et citro' referenda essent ad illa ,datis acceptis', quibus ipsa subiecta sunt, necesse esset, praesertim cum lectionem ,ultro et citro' retinendam esse pro certo habeamus, legere ,d. acceptis que'. Neque enim unquam Cicero posteriori pari coniunctionem dempsit, priori adiunxit, ubi bina iuxta composuit vocabula. Itaque lectionem ,u. et c. datis acceptis' retinemus. Ciceronem autem illa verba, quae plerique edit. [Heine, Unger, Klotz, alii] praebent: ,acc. que, quae et' dixisse nego ob eam rem, quod male sonantia auribus respuuntur.

Sed Ciceronem alia verba, quae in contraria abeunt, dissolute dixisse intellegimus ex parad. 5, 2, 36, ubi ,**iubet** **vetat**' scriptum legimus. Idem de leg. 3, 3, 10 dixit: ,iussa vetita' (legitima verba). Hoc asyndeton principio iurisconsultorum proprium videtur fuisse, [cfr. Digest. 1, 3, 7], sed nullum exemplum praeter illud inveni. Cfr. autem Liv. 8, 34, 10: iussu iniussu (ex coniectura). Sed coniunctio illis verbis addita est a Cic. de leg. 3, 16, 35, cfr. eund. ad Att. 2, 20, 1, Ovid. m. 11, 493, Digest. 42, 1, 14, Fronton. ep. p. 124 Nab.

*) In similitudine exitus horum vocabulorum inest coniungendi vis [ut ex adverso in anaphora].

,Vendere emere', ,conducere locare'.

Haec verba saepissime in sermone iurisconsultorum et in legibus inter se conectuntur coniunctione dempta, velut in Digest. 48, 10, 9 [emere vendere']. 18, 2, 16. 18, 4, 19, ap. Justin. inst. 4, 6, 17. 22. 28, ap. Gaium 4, 62; ,in emptionibus vend., locationibus cond.' ap. Justin. inst. 1, 21 pr. 3, 22 (23) pr., similia in Digest. saepe, cfr. Cic. off. 2, 11, 40 Klotz. 2, 18, 64. 3, 17, 70 [desumpta ex Qu. Muc. Scaevola § 21 Huschke p. 17], Liv. 27, 51, Varron. r. r. 2, 2, 5; ,in locato conducto' Digest. 4, 9, 8, 1, cfr. 19, 2. 11, 6, 1. Sed aliis iisque satis multis locis coniunctio addita est, velut iam a Plauto in Amph. 2; item a iuris consultis posterioris aetatis, velut in Digest. amplius quattuordecim locis.

Eos autem locos, quibus Gaius et Justinianus easdem res iisdem fere verbis declarantes discrepant, per vim mutare nequaquam necesse est.

Jam continuantur his exemplis adiectivorum vel participiorum asyndeta.

d) de
adiect.
vel partici-
piorum dis-
soluta.

,Dextra sinistra'.

Hoc asyndeton si a fonte repetemus, a Catone esse petendum invenimus: de re r. 21 [ter] et 160; sed ,que' iam ipse addidit c. 161. Ne Cicero quidem hoc asyndeton sprexit: ad Att. 13, 52, 2, phil. 13, 9, 19, ac. prior. 2, 40, 125, ubi complura paria sunt dissolute dicta.

Saepissime haec adiectiva, ubi composita sunt, coalescunt e duabus in notionem unam [= ,undique' vel ,utrimque', ita ut hoc asyndeton nequaquam alienum sit ab illa lege, ad quam spectat asyndeton bímembre. Nam fere semper etiam ubi duo vocabula inter se contraria composita sunt non copulata, in unam illa notionem mente et cogitatione comprehenduntur, atque ad illam generalem quae ex compositis illis vocabulis nascitur notionem maxime adverti animum scriptores volunt.

Deinde hoc asyndeton, quod e cotidiano sermone videtur sumptum, invenimus ap. Sall. Jug. 101, 9 [sed 50, 4: ac] et ap. a. b. Afric. 78, 2 [sed 70, 3: que]. ,Dextra sin.

que praeterea scriptum legimus ap. a. b. Alex. 37, 4, ap. Sueton. bis [Jul. Caes. 37: atque], ap. Sen. n. qu. 6, 6, 2, ap. Colum. r. r. 5, 10, ap. Gell. 16, 5, 3, ap. Cels. med. 120, 9. 121, 12, ,d. et sin.' omnino rarius invenitur, cfr. Varron. r. r. 3, 5 [ter]. 2, 9, Veget. mulom. [bis], Varron. l. lat. [bis], Digest. 8, 4, 11, 1. ,D. ac sin.' satis crebro inveni: ap. Caes. b. c. 2, 15, 3, ap. Plin. n. h. 31, 3, 49, ap. Veget. mulom. quater; Vitruvius solus tricies septies ,d. ac sin.' dixit, ,d. atque s.' ter tantum, ,d. et sin.' quater, asyndeti exempla praebet sex. His autem sex locis editores putaverunt corrigendum esse asyndeton et mutandum in ,d. ac sin.', qua in re eos errasse Koehlerus demonstravit in act. phil. sem. Erlang. I, 442.

Ut Livius [decies] sic Curt. et Plin. mai. [et poëtae omnino] ,dextra laeva que' dicebant; commemoremus postremo: ,d. ac laeva' bis tantum inventum [ap. Plin. n. h. 3, 25, 147, ap. Verg. Aen. 9, 677] et ,dextra sin. ve' ap. solum Veget. mulom. 1, 27.

,Praesens absens' [cfr. ,praesens abest' = er ijt mit feineu Gedanken anderswo].

Quae participia cum plerumque per particulas copulativas conectantur, huc referri possunt; quamquam in Ter. Eun. 1059: ,praesente absente' sententia inest disjunctiva. Ille autem locus in eisdem Eun. 192: ,praesens absens ut sies' non spectat huc, cum vocabulo ,praesens' concessiva sententia subicienda sit. Sed: Ter. Ad. 73: pr. absens que, cfr. Plaut. Pers. 1, 1, 9 (atque,*) Liv. 27, 46, Sen. dial. 7, 20, 3, fab. Aulul. s. Quer. p. 43, 19; Flor. 1, 22, 43, Sidon. Apoll. epist. 1, 7, anth. l. R. f. II, c. 867, 10, in Digest. saepe invenitur coniunctio addita; illo autem Cic. exemplo [ad Att. 4, 2, 7] nihil suppeditatur, quod pertineat ad hoc asyndeton confirmandum.

Jam mentionem faciamus de paucis vel adiect. vel particip., quae singula cum contrariis conexa saepius conijunctione earent, ubi unum ad alterum sollemniter, ut ita dicam, adiectum est, sed non omnia proverbii locum obtinent, velut

*) „Atque“ omnino saepe copulat duas contrarias notiones, de quibus idem declaratur.

,dicenda tacenda' ap. Horat. epist. 1, 7, 72 [cfr. Pers. sat. 4, 5: que, et Demosth. 18, 122],
,iusta iniusta' ap. Ter. Heaut. 839 et Ad. 990 [cfr. Sen. epist. 95, 58: et],
,digna indigna' ap. Verg. Aen. 12, 811, similiter Plaut. Asin. 247 [sed ,atque' Verg. Aen. 9, 595, Pacuv. frgm., Sen. dial. 6, 10, 6],
,fanda nefanda' ap. Catull. 64, 405 [sed ,que' Liv. 10, 41, 3],
,aperta secreta' ap. Tac. ann. 4, 67 [cfr. clam palam],
,prima postrema' ap. Liv. 1, 24, 7 [sed ,que' in Digest. 38, 16, 2, 5],
,noti ignoti' ap. Plaut. Curc. 280 [,que' ap. Sen. dial. 11, 11, 1, cfr. 12, 6, 6 et Liv. 5, 13, 7],
,bona mala' ap. Ter. Phorm. 556, cfr. Plin. epist. 8, 15, 2, M. Anton. ap. Quintil. 3, 6, 45, Arnob. adv. n. 3, 24; ,bene male' [cfr. Erasm. adag.] nusquam inveni, sed ,bene aut male' ap. Gell. 17, 12, 5, ,male seu bene' in Digest. 42, 1, 55, ,boni malique' vel similia ap. Sen. phil. quinquies,
,aequo iniquo loco' ap. Liv. 8, 34, 10, ,per aequa per iniqua' 2, 32, 7 [quae locutio proverbii speciem videtur habere], sed ,iniquae aequae' ap. Ter. Hec. 274 asyndeton non est, cum ,aequae' ad ,omnes' referendum sit = in gleicher Weise alle; aliis locis illis adiect. coniunctio addebatur, velut a Liv. sexies.

Etiam aliis adiectivis saepe, ubi singula cum contrariis composita sunt, coniunctio abest; cfr. Cic. ad fam. 15, 4, 12, Lucil. relq. 54 (p. 88 Gerl.), Plin. n. h. 35, 10, 69. Sed ubi duo vel tria plurave adiectivorum paria composita sunt, saepissime coniunctionem omissam esse [potissimum a Cic.] nemo ignorat.

Permultis autem locis, cum locutiones non proverbiales per asyndeton dicuntur, coniunctio etiam in adiect. vel part. omittitur ideo tantum, quod duae illae inter se diversae notiones, quae afferuntur, notionem unam eamque totam, ut ita dicam, comprehendunt.

Sed nonnullis illorum quos supra attuli locorum scriptorem contrarium vocab. adiunxisse — id quod est momenti magni — praeter necessitatem perspicuum est. In describenda enim aliqua. re saepe contraria res ita additur per pleonasmum, ut una sola notio intellegenda, contraria autem

paene excludenda sit. Ita illo loco Verg. (Aen. 9, 595) notio ‚digna‘ nihil attinet ad rem. Quocum comparari potest Hor. carm. 2, 18, 40: ‚vocatus atque non voc. audit‘ pro ‚non vocatus‘, et ‚velim nolim‘ pro ‚invitus‘ vel ‚coactus‘. Sed vis et gravitas in hoc abundanti supra necessitatem dicendi genere inest. Nam omnium rerum delectum ac discrimen tollit his locis is, qui concitate dicit effutens sive temere sive ira exacutus, quaecunque in buccam venerunt. Schneiderus [de prov. Plaut. p. 30] dixit: ‚hoc pleniore additamento id agunt, ut rem omnibus numeris absolvant ac quam dilucidissime exprimant.‘ Hoc potissimum consilium secutos esse scriptores concedendum est. Sed breviter adiciam illam loquendi consuetudinem, quae non solum apud comicos, sed apud poëtas omnes [et oratores] increbuit, contineri vi atque incitatiore orationis cursu. Sed pauca illorum exemplorum in disiunctivorum asyndetorum numerum referenda sunt.

Quod etiam his omnibus quos adhuc attuli locis notiones illas duas, de quibus unoquoque loco agitur, inter se contrarias esse non potest negari, tamen talibus locis saepissime plus minusve neglegimus, quod altera contrario nomine alteri opponitur. Ipso autem eo, quod altera notio alteri est contraria, continentur articuli et coniunguntur inter se. Copulandi igitur vis in rebus ipsis sibi oppositis insita est vel potius sumitur ex vi ac gravitate ipsarum contrariarum notionum et ex natura contextus. Itaque haec asyndeti sollempnis exempla, de quibus disputavi, versantur in dissoluti genere illo, quod Naegelsb. [p. 550] adulterinum vel improprium dixit, quod nomen mihi videtur laudandum.

Non autem incitatus modo oratio saepe fertur, cum coniunctio est omissa in iis locutionibus, quae non obtinent proverbii locum, verum etiam magis intenditur crebro contrariorum vis per asyndeton.

Coalescere autem aliis locis et confundi notiones inter se contrarias, ubi compositae dissolute dicuntur, in usum eamque magis generalem saepe eo significatur, quod ‚omnes‘ vel alia comprehendendi notio dissoluto additur eaque antecedit [interdum sequitur], etsi illae notiones duae per sententiam arctissime cohaerent; nonnunquam etiam ‚media‘ vel ‚mediocria‘ adiungitur, ut ea, quae inter contraria sint posita, indicentur.

B) De asyndeto disiunctivo.

Asyndeta disiunctiva esse Draegerus [II, 3, § 342 prim. edit.] negavit, cum opinaretur scriptores Romanos, ubi nobis Germanis particula disiunctiva requiri videretur ex contextu et continuatione sermonis, nullam conjunctionem intellexisse aut cogitasse nisi copulativam. Sed illum frustrari hanc opinionem colligi potest vel ex eo, quod Romani easdem formulas modo dissolute dixerunt modo per ,ve' vel ,aut' vel ,sive' disiunxerunt; aliis autem locis copulativam particulam iis addiderunt. Itaque ipsos Romanos iis locis, ubi nos partic. disiunctiva ut ponatur optamus, certe de part. disiunctivis cogitavisse illustrabitur nonnullis illorum quae sequuntur exemplis [plerique omnes, plus minus, bis ter, ter quater' aliisque].

Jam tractemus singula disiunctiva asyndeta.

,Velim nolim'.

Hoc asyndeton [pro: ,sive volo sive nolo', ut consuetudo loquitur] in earum formularum numerum refertur, quae [apud praestantissimos raro et] apud posteriores scriptores [saepe] inveniuntur; sermonis autem cotidiani videtur proprium fuisse, nam Cic. ipse [de deor. n. 1, 7, 17: ,velim nol.'] sermonem est imitatus. Mirum vero est, quod Plaut. et Terent. aliique comici [si quidem hanc formulam ἀσυνδέτως positam iam noverant] videntur aspernati esse asyndeton, praesertim cum ex sermone cotidiiano sumptum esse appareat. Cfr. Plaut. Cist. 3, 14: ,sive ego volo seu nolo', quod vestigium illius formulae ultimum est.

Apud posteriores autem scriptum legimus illud as. saepe, sed semper hoc ordine positum, ut ,velim' antecedit, velut iam ap. Sen. controv. 9, 3 (26), § 8, ap. Sen. apocoloc. 1, 2, epist. 53, 3: vellet nollet. 117, 4, dial. 7, 4, 4. 10, 8, 5, ap. Plin. pan. 20, 6, ap. Martial. epigr. 8, 44, 16 [cfr. 3, 90, 1: volt, non volt, et anth. l. R. f. II, p. 16, 8], ap. Petron. 71, ap. Sid. Apoll. epist. 9, 3. 9, 6, 9, 12 Baret, cfr. 5, 20, ap. inc. a. pan. Max. et Const. d. 1 Baehr., ap. Min. Fel. Oct. 29, 4, ap. Sulp. Sev. dial. 1 (2), 1, 9, ap. Arnob. adv. n. 1, 43, in Aulul. s. Quer. p. 20, 23. 21, 1, ap. Dionys. exig. de creat. hom. 23 fin., ap. Salvian. de gub.

d. 5, 59 (bis) et ad eccles. 1, 26, ap. Fredegar. hist. Fr. 20., cfr. Hieronym. in [L.] Ann. Sen. frgm. [Haase p. 430 § 59]. Sed ,velis ac nolis' ap. Tertullian. de anima 58.

Illo autem l. Cic. ad Qu. fr. 3, 8, 4: ,velit nolit scire difficile est' pendent ,velit nol.' ex ,scire'. Nam sine particulis interrogativis ,utrum — an' coniungi posse proverbii loco duas contrarias notiones constat; cfr. Plaut. Asin. 465: sit, non sit, — scio, Bacch. 400, Ter. Heaut. 643.

Sed de illa controversia, num lectio ,velim nolimve' ap. Valer. Max. 3, 7, 3, quam cod. omnes traditam habent, necessario defendenda sit constituere est difficile. ,Velim nolim' enim cum proverbialis formula sit, particula ,ve' multis displicet. Sed, ut opinor, proverbiales locutiones non semper eadem qua pronunciari solebant specie indutas citari, sed etiam vulgari dicendi forma ita, ut asynd. spernatur, proferri aut liberius mutari posse [velut a poetis] intellegitur ex multis illis exemplis, quae partim commemoravi partim commemorabo. Velut legimus scripta ap. Justin. inst. 2, 19, 1: sive velit s. nolit, cfr. ibid. paulo infra § 2, eadem ap. Gaium 2, 153. 157, in Digest. 28, 1, 12, sed etiam ap. Liv. 8, 2, 13: ,seu velint s. n.'. Nec vero ulla suspicio est eum qui dicat hoc l. vel. nolimve' egredi extra praecepta grammaticorum, cfr. Sen. n. qu. 1, 8, 3: supra infrave, et anthol. l. Riese f. I p. 184, 275, 1: ,velim — nolimve?' Itaque ,ve' retinendum esse censemus, praesertim cum Valerium Max. sollemni asyndeto omnino non favisse probari possit atque eiusmodi formulae mutatae sint a posterioribus, ,velim nolim' autem minus usitatum fuerit quam ceterae personae: ,velis nol.' et ,velit nol.' [,velim nolim' ter tantam inveni: ap. Cic., ap. Sen. rhet., in Aulul.].

Mirum denique est, quod, cum ,velim nol.', non ,nol. vel.' scriptores antiqui solerent dicere [cfr. Donat. ad Terent. Andr. 1, 3, 9 [,nolis velis'] et ad Ad. 5, 9, 33 [,velis nol.'] afferentem], media aetate quae vocatur ,volens volens' dicebatur, non ,vol. nol.' [cfr. Krebs — Algayer antib. p. 756]. Neque enim potest pro certo affirmari propter nullam causam hoc factum esse nisi quod paenultima syllaba vocabuli ,volens' brevis natura est. Sed Barthol. Maranta [? l. 5 Lucull. qu., cfr. Eras. adagia]: ,volentem nolentem'.

Cfr. etiam Liv. 7, 40, 13: seu volens seu invitus, Tac. ann. 1, 59: ut quibusque b. invitis aut cupientibus erat (in-

signe ex.), Dracont. c. min. 5, 117 de Duhn: invita volensque.

,Plus minus' [saepe = circiter].

Haec formula, qua indicatur incerta magnitudo vel numerus, apud solutae orationis scriptores praecipuos non invenitur; petitam autem eam esse ex usitato sermonis genere Kranerus [ad Hirt. b. Gall. 8, 20, 1] recte opinatur.

Scriptam legimus illam praeterea ap. Petron. 52, ap. Martial. 9, 100, 4, ap. Stat. silv. IV, 9, 22, in frgm. iur. Rom. Vatic. de excus. § 166, in Digest. 16, 3, 26, 2, ap. Lactant. de mort. p. 48; ap. Plaut. quoque Men. 592 [cfr. Brix.] Ritschelius tradita a cod. verba ,aut pl. aut m.' mutavit in ,plus minus', sed Bergkii: ,ut pl. a. min.' Frequentem autem esse illam in epitaphiis, potissimum Christianis, cognoscimus ex lex. Forcellini.

,Plus minusve' [iam in leg. XII tab. III] saepius quam ,plus aut min.' [cfr. Enn. ann. 493] invenimus, ,plus minusve' ap. Ovid. ter et ap. Martial. semel, nusquam autem alibi, quod ap. Plaut. Capt. 995 scriptum exstat: ,plus minusque', quae verba mutanda sunt, ut mea fert opinio; ac non plus bis inveni: ,plus vel minus' Digest. 21, 2, 74, Hygin. de mun. castr. 39 Gem., cfr. 41 et Arnob. adv. n. 1, 13: ,m. vel plus'.

,Magis minus' ex similitudine collegerit quispiam, sed inveni nusquam. ,Magis minusve' autem et ,m. aut m.' [quindecim exempla congesi] satis crebro inveniuntur, ,aut min. aut mag.' ap. Sen. epist. 82, 14, ,mag. et min.' ap. Varron. l. l. 9, 44, 145, ,mag. ac m.' ap. Plin. n. h. 37, 5, 67, ap. Quintil. 11, 1, 14, ,mag. vel min.' in anth. l. R. c. 916, 3.

,Praeter propter' [= entfernter oder näher, d. i. mehr oder weniger, ungefähr, „findet sich nur in dem neueren Advofatenstil“ Reisig].

Hoc asyndeton, quod generis sermonis usitati esse putandum est, ex antiquissimo tempore videtur mansisse [et manasse ad posteriores]. Nam Fronto ap. Gell. [19, 10, 4.

12. 13] dixit Catonem et Varronem et pleramque aetatem superiorem illis verbis usos esse, cfr. Fronton. fr. p. 264 Nab. Sed nusquam nisi locis a Gell. allatis ullum exemplum horum vocab. scriptum legi. Itaque cum ex aliis tum ex hoc exemplo satis evidenter colligi potest, quot linguae particulae et membra omnibus temporibus in sermone populi vigerint, quorum haud scio an ne vestigium quidem ab illis qui nobis salvi traditi sunt libris in medium prolatum sit. [Klotz: cfr. Salmas. ad Solin. 42, p. 617].

,Serius ocius'.

Apud Hor. carm. 2, 3, 26 inveni hoc asyndeton, sed nusquam alibi. Tamen proverbiali figura dictum esse existimo; nam Horatius [qui omnino duo vocabula raro dissolute dixit] proverbialibus tantum asyndetis videtur usus esse. ,Serius aut citius' ap. Ovid. m. 10, 33, cfr. Lucret. 5, 702, Sen. n. qu. 2, 59, 7, Cic. de inv. 1, 26, 39, P. Nigid. ap. Gell. 10, 11, 2. Hoc autem reducamus in memoriam nostram, quod supra dixi, adverbia, quae tempus significant, cum contrariis composita raro dissolute esse dicta.

,Par impar' [= ἀρτάζειν, cfr. Plat. Lys. 206 E].
Quod invenimus ap. Hor. sat. 2, 3, 248 et ap. Sueton. Aug. 71 extr. [Augusti verba].

Tum in horum quae disiunctiva dicuntur asyndetorum numerum ascribamus: ,ter quater, bis ter, unus alter, sex septem, plerique omnes' eaque propterea, quod, ubi haec vocabula dissolute sunt dicta singula, saepe ita solvenda sunt, ut disiungantur per ,ve' vel ,aut'; saepe autem coniunctionibus disiunctivis eadem non carent.

,Ter quater' [saepissime = compluries].

Hanc locutionem fere proverbialem et poetarum propriam scriptam legimus ap. Ovid. septies, ap. Propert. 4, 11 (12), 15, ap. Martial. epigr. 10, 56, 2, in anthol. l. Riess f. II, p. 189, 37 et 38. Sed ,terque quaterque' invenitur ap. Ovid. quinquies, ap. Verg. quater, ap. Tibull. 3, 3, 26, ap. Sil. Ital. bis, ap. Stat. silv. IV, 1, 37 B.,

ap. Martial. sexies, ap. Sidon. Apoll. epist. 1, 6; ,ter et qu., ,ter quaterque, ,ter aut qu. saepe singula scripta legimus, ,ter quaterve' autem [= 3, hōdſtens 4mal], quod in multis grammat. libris invenimus, rarissime scriptum legimus, velut ap. Gell. 11, 7, 7, ap. Cels. m. d. p. 108, 2. 112, 29.

Comparari potest cum ,ter quater' illud Laberii et Sen. phil. proprium asyndeton: ,bis ter'; quod invenitur ap. Laber. in Colorat. [ap. Gell. 6 (7), 9, 4] et ap. Sen. Herc. fur. 1011 et Thyest. 769 [sed Hor. epod. 4, 8: bis ter = sex]. Depromptum videtur hoc as. e cotidiano sermone, ex quo omnino multa Laberius assumpsisse dicitur. Sed ,bis terve, b. aut ter, bis terque' [duodecim exempla congressi] saepius scripta exstant quam ,bis ter'; ,bis vel ter' ap. Sen. n. qn. 3, 28, 3, ,bis et ter' ap. Front. ad M. Caes. 3, 11 p. 48 Nab., ibid. ,bis ac ter'. Cfr. denique illud ,bis ac ter, quod pulchrum est' [= ein gut' Sieb singt man mehr als einmal], quod proverbii loco dicitur.

Ea autem vocabula numerorum, quibus notantur duo et tres, saepe dissolute esse dicta, ubi composita sunt, intellegi potest ex his locis: ,duas tris' Plaut. Bacch. 650, ,binos ternos' Epid. 2, 2, 28 et 29, cfr. Plaut. Pseud. 580 Pl. et Plin. r. h. 26, 8, 72. Sed non abest coniunctio a multis locis, velut Plin. n. h. 17, 22, 180. 24, 19, 180, Martial. 11, 1, 13 aliisque. [Cum ,bini terni' cfr. illud Plinii [n. h. 27, 9, 82]: ,quini seni'.

Sed etiam ,unus' et ,alter' coniunguntur non copulata, velut a Cic. in Verr. 2, 5, 29, 76: ,unum, alterum mensem, prope annum'; sed hoc exemplum multo minus grave est quam illud Plivii [in epist. 9, 10, 3]: ,orat. unam alteram', cfr. Cic. Verr. 2, 4, 29, 66, pro Cluent. 64, 178, Sen. controv. 2, 1 (9), § 3. [Plaut. Truc. 2, 2, 9 non huc refertur].

Compluribus autem formulis auctores utebantur, ubi si non permultos at complures appellare volebant:

1) ,unus atque alter' ap. Sall. bis invenitur, ap. Cic. pro Cluent. 28, 77, ap. Sueton. Caes. 20, ap. Colum. r. r. bis, ap. Gell. quater, ap. Arnob. 6, 22, 2) ,unus et alter' ap. Cic. ter, ap. Ovid. sexies, ap. Curt. 5, 7 (22), 4, ap. Tac. dial. 21, ap. Juvenal. 14, 33, ap. Gell. 7 (6), 16, 9, ap. Apul. m. 10, 15, 706, in Digest. 23, 2, 43, 2, ,un: et alius' ap. Arnob. 1, 37, 3) ,unus alterque' ap. Liv. 7,

10, 10, ap. Petron. 108, [nusquam alibi inveni], 4) ,unus alter', cfr. supra, 5) ,unus alterve' ap. Cic. ad fam. 3, 9, 2, ap. Tac. Germ. 6, ap. Plin. pan. 52, ap. Plin. n. h. 14, 3, 41, ap. Gell. praef. § 11, ap. Sen. dial. 6, 7, 2, in Digest. semel, ap. Sidon. Apoll. epist. 9, 5, 6) ,unus aut alter' saepissimè inveni, velut ap. Plin. min. octies, ap. Sen. phil. quinquies [sed ap. Cic. nusquam], 7) ,unus vel alter' ap. Apul. m. 1, 8, 38, ap. Colum. r. r. quinquies, in Digest. quinquies.

Jam veniamus ad ,sex septem', quod asyndeton in proverbii consuetudinem venit, cfr. Ter. Eun. 332, Hor. epist. 1, 1, 58 (57), Cic. ad Att. 10, 8, 6: VI. VII [= sex septem], sed Lucret. 4, 578 (577): ,sex etiam aut sept.', cfr. Varron. Pseud. Ap. I (1) Riese p. 203, Martial. 4, 15, 2, 7, 58, 1. 8, 3, 1 (ve), Flor. 2, 18, 9, Censorin. d. n. 11, 10. 21, 4, Colum. r. r. 2, 13 (vel).

,Plerique omnes' [cfr. Woelfflin. comp. lat. et rom. p. 41 et 42 et Forcell. lex.].

Notio ,plerique' augetur per ,omnes', ,omnes' autem minuitur per ,plerique'. Sed quid Gellius 8, 12 subtilius de hoc asyndeto iudicaverit, nobis non traditum est; hoc ex eo cognoscimus illa verba accepta a Graecis videri, sed eum cogitavisse ,πάμπολλοι' [cfr. Woelffl.] non est verisimile, quamquam Donat. quoque ad Ter. Andr. 1, 1, 28 hoc vocab. in memoriam nobis reduxit.

Tantum autem abest, ut illa verba in abundantis praeter necessitatem orationis genere sint [cfr. Donat. ad Ter. Andr. 1, 1, 28 et Reisig — Haase p. 800], ut pro ,plerique vel [aut] omnes' usurpentur omnia coni. disiunctiva. Quod testantur hi loci: Cic. de inv. 2, 40, 117: omn. aut pleraque, cfr. eund. de fato 3, 6: aut pl. — aut omnia, Cic. or. ad Brut. 39, 136, Colum. r. r. 3, 3, Quintil. 2, 20, 9. 11, 3, 181, Apul. m. 1, 2, 16. Nec vero necesse est statuere ,vel' ea sententia dici [in illis], qua fere cum superlativis coniungitur ad significandum summum gradum [= wohl, vielfeicht].

Scriptam legimus hanc locutionem non apud vetustissimos modo scriptores, verum etiam ap. Front., Gell., Macrobr. [Adiungo illis a Woelfflino allatis exemplis: Plant. Epid. 2, 1, 1, Gell. 1, 3, 2. 1, 21, 1. 15, 7, 1. 17, 5, 4].

Omnino inferioribus temporibus, quibus Latini sermonis integritas non iam incorrupta erat, sed sermo emendatus labebatur, multa a vetustissimorum scriptorum lectione Frontonem potissimum et Gellium Apuleiumque petivisse et sumpsisse constat; multaque ex antiquissimo tempore usque ad inferius manaverunt neque tamen comparuerunt temporibus interiectis.

Wopkens ad Minuc. Fel. Oct. 10, 1 verba ea, quae cod. praebent: ‚aut omnia aut pleraque omnium‘ in ‚aut o. aut pl. omnia‘ mutavit, sed Halmius merito ac iure, ut videtur, illud ‚omnium‘ delevit. Nam quamquam ‚pleraque omnia‘ per se elegantius est dictum quam ‚pl. omnium‘ et Minucio Felici valde arrisit asyndeton bimembre, tamen ‚omnium‘ (vel ‚omnia‘) h. l. prorsus supervacaneum est.

Caput II.

Non solum duo contraria inter se vocabula dissolute saepe dicebantur, sed etiam simile aliquid vel idem fere declarantibus nominibus duobus, ubi componebantur, coniunctio demebatur atque in huius generis vocabulis asyndeto bimembri [copulativo] quod sollemne vocamus latiore etiam ambitum tribuerunt auctores quam in illis.

Neque vero ita modo, ut alter articulus orationis per alterum cum vi augetur et confirmetur, cumulantur quae dissolute dicuntur verba, verum etiam eo consilio, ut notio prioris articuli ab ea, quae proxime sequitur, inlustretur et explicetur. Saepissime igitur altera notio vim et sententiam antecedenti notioni subiectam gravissime reddit.

Crebro autem una et eadem notio graviter et cum vi declaratur eo, quod duo idem significantia vel adverbium quaeque adverbiorum vicem obtinent vocabula vel substantiva vel verba vel adiectiva vel participia componuntur. eaque dissolute dicta; qua re efficitur, ut illa notio plus valeat et magis penetret in animos eorum, qui audiunt. Satis crebro enim unum vocabulum ei, qui verba facit, non sufficit ad notionem unam accurate exponendam; itaque complura, quibus opus est, verba vellet, si posset, simul pronuciare.

Antecedens igitur notio a sequente vel inlustratur et explicatur vel augetur et confirmatur. Sed minime mirum est, quod utrumque consilium plerisque locis scriptores

sequebantur. Nam ubi ad illustrandi vim spectat oratio, ibidem augendi et confirmandi vis animo est proposita.

Jam singula deinceps recenseamus.

Priusquam autem de huius generis asyndetis sollemnibus disputem, liceat mihi h. l. pauca depromere ex ingenti exemplorum copia, ubi in asyndeto inest vis quaedam et gravitas propter alliterationem et anaphoram, qua fit copula supervacanea. Cfr. Theobald, de annominationis et alliterationis apud Ciceronem usu [Bonn 1852]. Plerisque autem horum locorum oratio incitatius fertur, quare asyndeton adiuvatur. [Cumulari saepe propter affectum nomina demonstravit Zumptius ad Cic. Verr. lib. II, 78, 192]

Eadem notio alio verbo graviter repetitur: in perturbatus interritus Plin. epist. 9, 13, 8, indemnatu innocens Cic. in Catil. 2, § 14, insontem indemnatum Liv. 35, 34, 7, improvisam inopinatum 27, 43, 7, cfr. 23, 27, 5, Tac. ann. 12, 48, 14, 36, 16, 26, Plaut. As. 259, Rud. 193, Plin. n. h. 28, 8, 87, Cic. ad Att. 7, 20, 1, inc. Herc. Oet. 1746, Sen. dial. 3, 12, 2, Fronton. ep. p. 155 Nab., inducta illata Digest. 20, 2, 4, cfr. 20, 2, 3; his quidem omnibus locis in repetitur, sed alia huius generis exempla ubique obvia.

Haec exempla simillima esse illis, cum particula copulativa [ut in lingua nostra] in oratione fervidiore eo supervacanea fit et compensatur, quod id vocabulum, quod utrique membro commune est, sive pronomen sive adiectivum vel participium sive praepositio,*) nervose graviterque, ut vocabula quasi plus efficiant, iteratur in altero membro nemo non videt. [Cfr. Kuehner, l. gr. II, 2, p. 748, 2]. Eadem autem exempla, in quibus figura quae dicitur ἀναφορά nexus singulorum membrorum effici videtur, a veteribus asyndeto adscripta esse intellegimus ex Aristotel. rh. III, 6. 12. 19 et ex Plut., quaest. Plat. [moral. p. 1010 F., ed. Wittenb. V, p. 113 sq.] [ἀναφορά ἀσύνδετος].

Saepe anaphoram Tacitus et Livius duobus compositis membris adhibuerunt neque conjunctionem addiderunt.

Hoc autem loco illud moneam iterato vocabulo conjunctionem haud ita raro addi omnino, si genus illius no-

*) In lingua nostra etiam substantivum, velut: *Jaßr aus, Jaßr ein; Caff' auf, Caff' ab.*

minis aliud in uno aliud in altero alterisve membris est vel ubi auctor sedate placideque dicit; fere autem coniunctio non adhibetur anaphorae, ubi auctor loquitur concitate.

Interdum — id quod permagni momenti est — praepositio semel tantum usurpatur, ubi ut his [terque] ponatur vel certe ut particula copulativa adiungatur optamus, velut ap. Varr. r. r. 2, 2, 5: ex empto vendito, ap. Cic. de domo a. 46, 121: de religione caerimoniis [de caerim. Halmius], cfr. Liv. 28, 25, 5: in principiis praetorio, Cic. pro Sest. 42, 90: ab aris focus, pro Caec. 32, 94, ad Att. 6, 9, 5, in Digest. [septies]: de usu fructu similiaque ibidem saepe; cfr. haec quoque ex: Plin. n. h. 20, 15, 162. 22, 25, 138. 35, 12, 161: per maria terras, Sen. epist. 85, 16, Tac. ann. 3, 26: sine probro scelere eoque — [sed ita interpretari hoc exemplum licebit, ut quattuor membra exstare statuamus], Cic. de orat. 2, 16, 68, Liv. 6, 14, 8; Arnob. 7, 40: ab inc., caedibus, Digest. 34, 2, 15: in auro argento.

Quodsi haec exempla diligenter respexeris, cognoces et concedes talibus locis verba illa, de quibus agitur, saepe proverbii speciem habere. Dura autem haec asyndeta habent causas suas. Ipso enim eo, quod omittitur et praepositio et coniunctio, ita ut altera notio proxime post alteram sequatur et utraque quasi simul pronuncietur, aperte significatur notiones [sive contrarias vel diversas — rarissime — sive] eandem rem significantes in unam eamque universam, quae illas duas complectitur, comprehendi.

Ubi autem tria membra vel plura membrorum paria dissolute dicta componuntur, praepositio crebrius omittitur, velut a Cic. de deor. n. 2, 21, 54: sine mente, ratione, consilio, cfr. Tusc. 5, 38: cum uxore, —, de fin. 5, 15, 43 [multisque aliis locis]. Sed fere semper vocabula, de quibus agitur his locis, notionum cognatione coniuncta sunt; quod diligenter respiciendum est.

Nihil scilicet offensionis habet omissa altero loco praepositio vel coniunctio, ubi vel adiect. vel. pron. vel numerale utrique membro commune iteratur, velut a Liv. 28, 9: adversus duos duces, duos imperatores, cfr. 28, 38. 30, 30. 1, 10, 7, Tac. ann. 3, 12: ad eundem laborem, eandem constantiam. His enim locis anaphora vicem coniunctionis praestat. [Huc spectat etiam Liv. 3, 10, 1: cum ingenti praeda, maiore multo gloria].

Ad anaphorae autem vel alliterationis*) similitudinem accedit homoeoteleuton. Cum illis enim locis, ubi asyndeti vis per anaphoram vel alliterationem augetur, comparari possunt haec exempla, ubi duo verba composita in eadem literas exeunt. Huc referendum est asyndeton in gerundiis: ‚ductando amando‘ ap. Plaut. Asin. 169, ‚vocandi sacrificandi‘ ap. Ter. Phorm. 702, cfr. Cic. or. ad Br. 30, 106. 42, 144, Tac. ann. 4, 2 [sed ‚adire appellare‘ videtur proverbii speciem habere, cfr. Plaut. m. glor. 420, Men. 3, 2, 8], Front. de nepot. am. p. 234 N., Gell. praef. § 19, Plin. n. h. 33, 5, 92 [neque ‚ad‘ repetitur neque coniunctio additur].

Jam aggrediamur ad asyndeton sollemne in duobus idem vel simile aliquid declarantibus vocabulis explicandum. Ac primum quidem disputemus [ut prius] de adverbii vel adverbiorum vice fungentibus vocabulis aliisque orationis particulis, deinde dicendum est de substantivis, tum de verbis, postremo de adiectivis vel participiis.

‚Forte temere‘.

a) de
adver-
biorum
dissoluto.

Haec vocabula, ut Handius [in Tursell. II, p. 731] monet, duplici modo componuntur, ut eorum quodvis singularem notionem praestet et ut utrumque coëat in unam notionem⁴. Sed plerisque locis videtur quidem utrumque singularem notionem praestare, sed si totius sententiae rationem respexerimus, comprehendi posse ea mente ac cogitatione plerumque in unam notionem inveniemus. Praecipere autem quidquam de hac re vereor ne non liceat, cum nemo sit, quin illa quae huc referenda sunt exempla trahat huc illuc interpretatione.

Hoc asyndeto usus est iam Ter. Phorm. 757 (= ohne Zuthun und zufällig), contra quam interpretationem dici nihil potest; aliis autem in unam notionem illa videntur coire; tum Cic. de div. 2, 68, 141: casu nonnunquam forte temere

*) Cfr. paulo infra: „certus clarus“, „purus putus“, „laetus lubens“.

concurrerent. Hoc quoque loco ,forte t.' unam notionem videntur continere. ,Casu' autem et ,forte t.' non iungenda sunt, cum eadem loci intervallo disiuncta sint. Trimembre autem asyndeton [casu — forte — temere] h. l. statuendum esse nego; nam certe Cicero aut ,forte t. casu' aut ,cas. f. t.' dixisset [cfr. de fato 3, 6]; immo vero alterum membrum comprehendit: ,forte t.', quae verba pro una notione dicta sunt.

Deinde scriptum legimus hoc as. ap. Liv. 39, 15, 11, quo loco paene idem declarat, quod ,prima quaque occasione' significat. Coalescunt igitur duo illa vocabula h. l. in unam notionem; item 23, 3, 3 [= blindling®] res causaque potissimum una quae ab illis efficitur notione continetur. Sed 41, 2, 7 [= imprudenter et sine consilio] discedere videntur illa in duas notiones, ita ut utrumque singularem notionem praestet; similiter 25, 38, 12 et 2, 31, 5 et ap. Curt. 5, 11, 10 (31) utraque per se notio eminet et exstat. [Pro ,prope temere' ap. Liv. 10, 43, 12 Gronovius scripsit: ,forte t.' iusto iure, ut videtur.]

Ex posterioribus hoc as. usus est Fronto, cfr. princ. hist. Nab. p. 207, sed idem ad am. 1, 1 p. 173: ,neque f. aut t.', ubi pro ,aut' ut particula copulativa posita sit optamus, cum duo illa vocabula in unam notionem h. l. comprehendenda sint.

Sed ,forte ac temere' iam Lucil. rel. sat. 13, 1 (p. 36 Gerl.) et Sen. benef. 1, 15, 1. 4, 19, 3 dixerunt, quibus locis utrumque praestat notionem singularem.

Vix vero neglegendum est, quod tantummodo ,forte' et ,temere' dissolte dicebantur, ,temere' et ,fortuito' aut aliae formulae non item. Pro ,forte' enim Cicero nonnunquam ,fortuito' usurpabat, sed cum ,temere' copulabat hoc, cfr. de off. 1, 29, 103: ,t. ac fortuito, —'. Hoc sane loco propter sequens par: ,incons. negleg. que' coniunctio ,ac' addita est; sed idem in or. ad Br. 55, 186: t. ac fortuito, et Tusc. 1, 49, 118: non t. nec fortuito [, nec', sed non ,aut']. ,Forte temere' igitur in proverbii consuetudinem venisse videtur; ut autem Cicero ita etiam Liv. 2, 28, 1 et Tac. Germ. 10 ,fortuito' cum ,temere' particula addita coniungebant.

Principalis igitur formula videtur fuisse: ,forte temere', ,temere ac fortuito' autem extra formulam positum est.

Illi autem formulae haud dissimiles sunt hae locutiones: ,temere atque imprudenter' ap. Liv. 38, 47, 8 [cfr. Sen. n.

qu. 7, 30, 1], ,inconsulte ac temere' ap. Curt. 8, 1, 5 (38) et ap. Liv. 2, 37, 6, cfr. Sen. benef. 1, 1, 1, ,iniussu ac temere' ap. a. b. Afric. 61, 3, cfr. deinde Cic. de inv. 1, 34, 58, de orat. 2, 8, 32, de deor. n. 2, 37, 94. 2, 44, 115, Liv. 35, 23, 2, Mamertin. grat. a. Jul. 23; ,forte uno aliquo casu' in Digest. 1, 3, 4.

Ut ,forte' et ,temere' ita ,forte' et ,casu' dissolute dicta invenimus ap. Liv. 8, 16, 5: ne forte casu. ,Forte' autem h. l. ad antecedens ,ne' referri possit. Sed cum Plin. pan. 1, 4: forte casuque, alter Plin. n. h. 11, 29, 103 et 12, 17, 73 eadem verba dixerit, nihil omnino est, cur Livii illo loco ,forte' et ,casu' seiungenda sint. Itaque asyndeton exstare h. l. pro certo habemus.

,Fortuito casu' autem ap. Justinian. quidem [inst. 2, 1, 39] non per asyndeton dictum videtur, sed ,fortuito' ablativum adiectivi ad ,casu' pertinentis esse, non adverbium, fortasse potest intellegi ex eodem libro 3, 14 (15), 2: ,si quolibet fortuito casu' [ibidem § 4: aliquo fortuito casu], idem autem 2, 1, 39 [paululo infra]: ,sed fortuito invenerit' dixit. Hoc igitur videtur adverbii locum obtinere apud illum. Sed aliud exemplum: ,casu fortuito', quod in Mos. et Rom. leg. collat. 1, 10, 1 (Huschke) et ap. Apul. m. 9, 42, 675 invenimus, asyndeti speciem habet propter ipsam verborum collocationem [casu fortuito] atque ideo, quod Cic. de divin. 1, 55, 125. 2, 7, 18 et a. ad Herenn. 1, 11, 19: ,casu et fortuito(u) dixerunt.

Atque iam disputemus de difficili loco Liv. 1, 4, 4: ,forte quadam divinitus'.

Ex Weissenbornii sententia aliis locis divino fortuitum opponi solet, sed h. l. cum ,fatis' et cet. antecedant, non de casu vel fortunae temeritate, inquit, agitur, sed fors ea res est, cuius causa et origo ab hominibus non possit cognosci, cuius tamen auctor possit esse deus. Sed conieciat quispiam aut abhorrere illa verba ,forte quad. div.' a sinceritate et siccitate elocutionis Livianae et solis poëtis concessa esse, praesertim cum ,divinitus' non referatur ad ,forte qu.' nisi admodum dure, aut ,divinitus' ex glossemate natum esse; itaque eiciendum esse, cum prorsus sit supervacaneum. Sed hoc non ita se habet, sed potius sanam mentem ex verbis illis elicere poterimus, si statuerimus et ,forte quadam' h. l. fere eandem rem quam ,divinitus' declarare, — quae est res, cuius auctor deus sit, etsi ab hominibus non cognoscatur — et dissolute dicta esse similiter his verbis Liv. [28, 28, 11]:

auspicato deis auctoribus [= unter göttlicher Weiße und unter Einwirkung der Götter]. ‚Synonyma‘ igitur h. l. sunt ‚forte‘ et ‚divinitus‘. Nam ut ‚fortuna‘ et ‚casus‘, ita ‚fors‘ nonnunquam deis in aequo ponitur apud Liv. Hoc autem loco significat ‚forte‘ idem quod aliis l. ‚fortuna‘, cfr. Weissenb. in praef. edit. adnot. auctae p. 20 [ann. 1875] et Liv. ipsum 5, 11, 14: non fortunam aut quemquam deorum. Sed Madvigii coniectura: ‚forte qu. an divinitus‘ nihil videmur profecisse. Quamquam enim particula ‚an‘ h. l. non discrepat a Livii loquendi more, quippe cum eadem 2, 54, 7 sola disiunctive dicatur non intercedente notione quaestionis vel dubitationis [28, 43, 3 sane notio dubitationis in re sententiaeque est, nam simul auditur: ‚nescio utrum vitio orationis an rei‘], tamen, si ‚an divinitus‘ legimus, illud, quod Livius narrat, divinitus factum esse potuisse concedendum est. Sed hoc ipsum ferri non potest. Madvigii igitur factum cum dicto discrepat. Dixit enim: ‚Livium hominem in rebus ad religionem pertinentibus cauti-
tissimum affirmare non potuisse hoc divinitus factum esse cfr. § 2: seu ita rata seu quia‘. Ipse autem non videt, etsi mutentur illa verba in: ‚f. qu. an div.‘, nequaquam posse negari, quin accidere potuerit, ut illa res divinitus facta sit. Dubitationis autem notio quamquam hoc l. probari potest, tamen, si ‚an‘ a Liv. dictum esset, optassemus, ut altero ordine verba collocaturus fuerit; neque vero initium enunciationis sumptum esset a ‚forte qu. an div.‘.

‚Clam nocte, clam furtim, furtim noctu, luce palam.‘

‚Clam nocte‘ scriptum legimus ap. Livium sexies; praeterea etiam 9, 16, 8 exhibent codices: ‚clam nocte‘. Editores autem h. l. ‚nocte‘ uncis incluserunt. Concedendum quidem est ‚nocte‘ supervacaneum esse propter antecedentia vocabula: ‚eadem nocte‘; sed ob illam ipsam rem, quod verba ‚clam nocte‘ proverbiali forma dicebantur, Livius h. l., etsi ‚eadem nocte‘ antecederet, ‚nocte‘ adiunxit. Verba ‚clam nocte‘ enim, quae creberrime composita essent et celerrime pronunciata, naturalem ac principalem significationem perderant ac non iam declarant h. l., quod proprie in utroque inest; quamobrem illa noctis notio h. l. non premitur. ‚Nocte‘ igitur ut uncis includatur non est permissum, sed potius ex eo,

quod consulto adiectum videtur, colligimus naturam illius locutionis proverbialem.

Altero autem ordine haec verba collocata legimus ap. Liv. 22, 22, 15: ,nocte clam'; item 22, 24, 6, quod antecedunt verba: ,si luce palam iretur'. 35, 21, 9: nocte clam — prima luce; cur igitur Liv. ordinem illorum vocab. inverterit, demonstrari potest ex convenientia vel ,commutatione' membrorum; cfr. 31, 12, 1. 27, 45, 12. [nocte — clam 27, 15, 12].

,Clam noctu' invenimus ap. Corn. Nep. Eum. 2, 5, ap. Sueton. Jul. Caes. 58, in Dar. Phryg. de exc. Tr. hist. bis; altero ordine ,noctu clam' ap. Cic. in Verr. 2, 1, 17, 46 et 2, 4, 45, 99, ap. Sall. Jug. 106, 2, ap. Frontin. strat. 1, 11, 9. Quae verba sollemnia fuisse testimonio sunt hi loci: Plaut. Bacch. 317 et Curc. 22 et L. Afran. frgm. Divortium 1: ,noctu clanculum', a quibus illud ,noctu clam' originem accepisse haud scio an recte conicias.

Cicero igitur duobus locis ,noctu clam' dixit, sed ,clam nocte' non inveni apud eum. Coniunctione autem addita Caes. b. c. 3, 30, 3: ,P. clam et noctu, C. palam atque int.' dixit certe convenientiae causa membrorum.

,Clam furtim' scriptum legimus ap. Plaut. Poen. 3, 3, 49 et Liv. 21, 63, 9; ,clam furtive' ap. Plaut. Poen. 5, 2, 61; furtim noctu' iam in leg. duodec. tab. 8 [lit. 9, Bruns], cfr. Enn. ann. 4, 6, 169 et vers. Meral. 15, Plin. n. h. 18, 3, 12. [Liv. 22, 16, 6].

,Luce palam' invenimus ap. Verg. Aen. 9, 153, ap. Liv. 22, 24, 6, ap. Cic. pro Sest. 38, 83, de off. 3, 24, 93, ap. Amm. Marcell. 14, 1 extr., in anthol. l. R. f. II, p. 171, 68. Sed in or. Cic. in Calp. Pison. 10, 23 difficillimum est constituere, utrum ,luce palam', quod Oxon. H habet, an ,luce et palam', quod reliqui cod. praebent, legendum sit, cum in sententiae ratione nihil sit, quod sequi possimus. Sed cum Cic. bis [allatis locis] ,luce palam' scripserit [cfr. Cic. Verr. 5, 26, 65], etiam h. l. retineamus ,luce palam', cum praesertim apud eundem ,noctu clam' scriptum legamus.

Altero autem ordine illa collocata sunt his locis: a Curt. 4, 13, 47 (9): p. luce; in tab. Bantin. [bis, pag. 233 Garrucci: 912 = 197, XIX, 17 et 24]: p. luci.

Simillima sunt his: ,perspicue palam' ap. Plaut. Aulul. 2, 2, 11; ,propalam in vulgus' ap. Liv. 22, 12, 12,

cfr. Cic. Verr. 2, 2, 38, 94. 2, 3, 28, 69. 2, 1, 20, 53; sed coniunctio non abest ab hac loc.: ,palam atque aperte' ap. Plant. Bacch. 302, ap. Liv. 24, 25, 4, cfr. Cic. Verr. 1, 7, 18. 2, 3, 62, 146, or. ad Brut. 12, 38, Sen. dial. 5, 1, 1, Digest. 34, 9, 9, Liv. 24, 38, 3; ex quibus exemplis collegerit quispiam asyndeton ,aperte palam', sed omnibus illis locis coniunctio comprobatur cod. optimorum auctoritate.

Cfr. deinde: ,vel palam publice vel secreto' Digest. 29, 5, 3, 20; sed ,palam ac publice' Sulp. Sev. chron. 2, 40, 1.

Hoc autem loco haec quoque asyndeta afferamus: ,nocte improvise' ap. Liv. 44, 35, 11. 36, 38, 1, ,improvise nocte' 3, 23, 1, cfr. 40, 47, 2. 25, 11, 10, Frontin. strat. 3, 2, 5; tum, quamquam non sunt adverbia, ,noctu silentio' ap. a. bell. Alex. 61, 2, cfr. Liv. 8, 23, 15.

,Abunde satis', quod prius asyndeton disiunctivum esse opinatus eram, [cfr. Cic. de div. 2, 1, 3, ad Att. 2, 16, 3, Hor. sat. 1, 2, 59 (60), Quintil. 12, 11, 19] non asyndeton est, cfr. Woelfflin. lat. et rom. comp. p. 24.

Sed **,sat abunde'**, quae verba Manutius et Orellius ad Cic. epist. ad Att. 16, 1, 5 commendant reicientes lectionem codicum: ,si habunde' vel ,si abunde' vel ,sit abunde', — eademque ap. Sidon. Apoll. in epist. 5, 16 scripta legimus [,satis abunde'] — asyndeton esse existimandum est, praesertim cum ipsa illa verba saepissime copulata invenerimus, velut ap. Sen. contro. 10, 5 (34), 15: satis abundeque; cfr. Sen. epist. 59, 10. 88, 16. 90, 16, benef. 7, 25, 2, Fronton. p. 261 N., [in Digest. ter.] Justin. inst. 2, 8, 1. 3, 23 (24), 1, Colum. r. r. 5, 1, Plin. pan. 44, Sidon. Apoll. epist. 3, 9.

Comparari potest cum hoc asyndeto illud Plauti et Terentii: ,satis, iam satis'; cfr. Ter. Andr. 820 et Heaut. 439, Plaut. Bacch. 1182; repetitio ad nullam rem valet nisi ad augendum. Sic etiam in illa formula: ,sat abunde' ,satis' notionem universam significat, quae est: satis ita ut nulla iam re opus sit, ,abunde' autem est affluens, = satis superque, sed sub expressa imagine. Cfr. denique cum his: Apul. m. 7, 10, 465: affatim vel sufficiens, Sen. Thyest. 892, Plin. epist. 1, 24, 4, 4, 12, 5, pan. 88, Digest. 26, 7, 39, 2.

,Repente subito'.

Quod asyndeton nusquam scriptum legi nisi apud Plaut. mil. glor. 177, sed h. l. ,repente' et ,subito' separata sunt interposito ,sese'; quamquam hoc exemplum asyndeton intellegendum est.

Item autem a scriptoribus subtilibus atque elegantibus ,repente' cum aliis vocabulis idem valentibus componebatur sine coniunctione, velut a Liv. 28, 39, 9: ,ex insperato repente', a Cic. div. in Caec. 17, 57: ,repente e vestigio, ab eod. ad fam. 4, 4, 3: ,repente praeter spem; cfr. philipp. 5, 16, 43, pro Plane. 20, 49, auct. b. Afr. 80, 5, Liv. 31, 10, 1, Sen. dial. 10, 9, 4, Frontin. strat. 1, 1, 8 Ded., Suston. Galb. 10: ,repente ex inopinato'; sed ,cito ac repente' Sen. n. qu. 3, 27, 7, cfr. Caec. b. Gall. 1, 52, 3, Fronton. epist. Nab. p. 7: ,subitus ac repentinus', deinde, quod ad discrimen illorum adverbiorum attinet, Doederl. syn. 5 p. 159, quas interpretandi spinas vitemus.

Non est dubium, quin illa verba ,repente — subito' similiaque abundantis praeter necessitatem orationis generis sint. Sed hoc pleonasmus genus, quod non fortuito ortum sit neque imprudente multitudine irrepserit in sermonem, nequaquam ulla gravitate caret, sed fere in omnibus eiusmodi pleonasmis vis quaedam et vehementia inest. Atque ubi pleonasmus augeat et manifestet sententiam, virtutem esse eum ait Quintil. 9, 3, 46. Illud autem pleonasmus genus, quod non consulto neque cogitatum oriatur, non efficax, sed ieiunum est.

Sed id cuius supra mentionem habui genus suapte natura gratius dicenti quam scribenti comicis potissimum est usitatum, cum una et eadem notio pluribus verbis dicitur, ne quid animus eius qui audit fugiat, sed ut res faciliores sint ad intellegendum et magis pateant. Lingua enim comicorum saepe immodica videtur et animi sensum quam apertissime exprimit. Semel confirmasse aliquid communi sermoni raro sufficit; itaque affirmatio aliis verbis repetitur. Hac autem consecratione perspicuitatis, quae communis sermonis propria est, fit primum, ut non solum idem significantia aut eundem sermonem iterantia verba, sed etiam sonantia et canora atque adeo veritatem superantia cumtulerentur, deinde ut nonnunquam ordo verborum invertatur,

tum ut comici egrediantur interdum extra praecepta grammaticorum. Atque illa contentione nimirum efficitur quasi fusiis quoddam dicendi genus et loquacitas, qua oratio fervidior fiat et vis vehementiaque non imminuatur, sed potius augeatur.

Sed oritur iam quaestio, consultone dissolute dicantur duo eiusmodi vocabula in unum locum composita. Equidem enim mihi principio persuaseram, ubicunque non copularentur illa per particulas, semper efficaciora ea esse et plus auctoritatis habere et, cum singula vocabula menti eius qui audit quasi aperta proponerentur, in eius animum penitus penetrare. [Nam dissolutionem aptam esse ait Quintil. 9, 3, 50: ‚cum quid instantius dicamus‘]. Ubi autem coniunctio adderetur, ‚emphasin‘ illam deesse. Sed postquam multa exempla excusseram, in dies magis perspexi illud praeceptum minus [vel certe non iam] quadrare in sollemnes formulas, postquam in proverbii consuetudinem venerunt, quam in universum asyndeton et in huius naturam definendam. Illud autem certum consilium principio quidem in illis scriptores sibi proposuisse, sed precedente tempore plus minusve neglexisse coniunctionem iam supra dixi.

Exsequar autem demonstrando vocabula duo eandem fore rem significantia, maxime adverbia, a subtilibus atque elegantibus et a posterioris aetatis scriptoribus paulo rarius quam a poetis comicis dissolute esse dicta, praesertim si componebantur, ne oratio quidquam intactum relinqueret, sed ut omnia nescio quodammodo pleniore dicerentur ore: velut ‚rursum denuo [πάλιν ἀν, ὅσπερον ἀθις] ap. Plaut. Cas. prol. 33 et Poen. prol. 79, cfr. a. b. Hispan. 35, 4, similiter quidem invenimus ap. Liv. quinquies: ‚novum de integro‘, cfr. etiam Liv. 5, 5, 6 et Fabri ad 24, 16, 2 [et ‚mutuo vicissim . . .‘ ap. Sidon. Apoll. epist. 9, 8.], ‚illico protinam‘ ap. Plaut. Curc. 363, cfr. Apul. m. 4, 3, 241, Frontin. strat. 4, 7, 13, Plaut. Bacch. 374 et Pseud. 565 [586 Fl.]; geminatione igitur significantur pondus et gravitas, quae attribuantur notioni illi, de qua agitur; ‚propere celeriter‘ ap. Plaut. Rud. 1323 [cfr. Woelfflin. comp. lat. et rom. p. 14; sed ii, qui dicunt similitudinem speciemque figurae etymologicae illa verba gerere neque ἀσυνδέτως posita esse, videntur perperam iudicare ob hoc ipsum, quod idem Plaut. Curc. 283: ‚propere et celere‘ dixit. Ex quo uno exemplo intellegi potest illa verba dissolute dicta esse

intellegenda, ubi coniunctio non addita est, cfr. ,properocius' Plaut. Cist. 3, 8, ,actutum — cito' Cas. 2, 4, 16, sed ,cito et cursim' Plaut. Poen. 3, 1, 64, cfr. Fronton. ep. p. 24 Nab., ,cursim et properantes' Sen. epist. 1, 2, 2, ,raptim et furtim' Fronton. p. 221 Nab., ,raptim perneciterque' Sidon. Ap. ep. 2, 5, cfr. Flor. 2, 8, 11]; deinde: ,pariter semul' ap. Plaut. Curc. 48, sed ,pariter simulque' Martial. 10, 35, 17, cfr. Flor. epit. 1, praef. § 3; ,simulter itidem' Plaut. Pseud. 370 (382 Fl.), ,item simul' Catull. 61, 36, ,pariter item' Varro Pseud. Ap. 1 (1, Riese p. 203), sed ,itidem pariterque' Lucil. rel. ex inc. l. 2 (Gerl. p. 79); cfr. h. l. ,una simul' Plaut. Pseud. 390 (410), item Mostell. 1023 (4, 4, 43) et Ter. Heaut. 907 [Donatus, siquidem ipse haec dixit: ,idem fere signant, sed hic ponitur altera earum particularum ad ornatum, ut sonerior reddatur oratio'; immo confirmandi et augendi causa altera alteri additur.]

Tum haec quoque exempla afferenda sunt: ,nequicquam frustra' Apul. m. 8, 16, 553, sed ,fr. ac n.' Catull. 77, 1; ,iure optumo merito' Plaut. Most. 3, 2, 28, sed ,merito atque opt. iure' Cic. pro Marc. 1, 4, cfr. supra p. 20 ,misere male'.

Ex quibus exemplis effici cogique potest multis formulis sensim et paulatim demum coniunctionem additam esse; principio autem in iisdem asyndeton viguisse non minus perspicimus.

Exsistit vero hoc loco quaedam quaestio subdificilis, num in illas formulas: ,tum deinde, deinde tunc, post deinde, deinde porro, tum postea, hinc deinde [hinc' tempus significans], tandem denique, ibi tum, sic item, ita sic, circum undique, circum circa' [cfr. ἀμφὶ περὶ = allüberall], in aliasque similes locutiones coniunctiones conexivae per leges grammaticas vel logicas, ut ita dicam, inseri potuerint ac num illae formulae in asyndetonum numerum sint referendae, cum coniunctio non adiuncta est.

Perpaucis enim harum formularum vel, ut verius dicam, paene nulli unquam ab ullo scriptore coniunctionem additam esse probari potest. Ac principio plane non dubitavi, quin nequaquam dissolute dictae illae quidem essent intellegendae, nisi easdem ab ullo scriptore Romano coniunctione ad-

dita positas esse demonstrare possemus. Ammiani Marcell. autem duo loci (17, 3, 5 et 16, 12, 69): ,tunc et deinde' huc non possunt referri, cum ,tunc et deinde' his locis valeat: „bamaß und später“. Alia autem duo insignia exempla attingenda sunt: apud eundem 15, 3, 3 et 16, 2, 11: ,hinc et deinde' [,hinc' tempus significat] scriptum legimus pro locutione Plinii mai. propria: ,hinc deinde' *) [cfr. n. h. 14, 11, 87. 4, 23, 122. 28, 10, 162. 28, 20, 267], cuius solius exempli similitudine concludimus illas formulas ,tunc deinde' ceterasque ἀνωδῆτος positas esse. Non enim postulare iure nostro nobis licet, ut aliae illae formulae excludantur propter eam solam causam, quod a nullo scriptore, cuius libri salvi traditi sunt, copulativam particulam iis adiunctam esse ostendere possumus. Neque enim cum Romani ,etiam atque etiam, magis m. que, iam iamque, iterum atque it. [cfr. Sil. Ital. 7, 393, Flor. ep. 1, 23 (2, 7), 15, Ovid. art. am. 2, 127], nimium n. que [Ovid. Her. 1, 41], propius prop. que [ibid. 4, 95, Stat. silv. V, 1, 184], longe longeque [Gell. 13, 29 (28), 3], aliter atque aliter' dicerent, cum his vocabulis singulis, ubi geminabantur, coniunctionem secundum emendate loquendi regulam adiungerent, causa ulla excogitari potest, cur non item in illas formulas coniunctionem inserere potuerint vel potius cur non sit statuendum illas esse dissoluite dictas, ubi coniunctio non addita sit: cfr. ,magis magis' et ,mag. m. que', ,iam iam' et ,iam iamque'.

Itaque quamquam — id quod diligenter observandum est — in illis locutionibus ,magis m. que, etiam atque et.' ei vocabulo, quod repetitum est, eadem vis altero loco subiecta est, quam priore loco habet, ita ut non possint seiungi, sed coniunctione egeant, in plerisque autem, quas supra attuli, vocabulum alterum non prorsus idem, sed tantummodo paene idem significat ac prius et utrumque pertinet separatim ad totam enunciationem, quamobcausam nonnunquam seiunguntur [cfr. Cels. med. p. 273, 23: deinde — postea], tamen ex similitudine harum form. [,magis magisque' et est.] non minus quam illius ,hinc deinde' [,hinc et deinde'] colligimus Romanos coniunctionis inter illa vocabula positae cogitationem animis informare potuisse. Quamobrem, ubi

*) Pro „hinc deinde“ [„hinc et d.“] Sidonius Apollin. videtur dixisse: „post hinc“, cfr. carm. 19, 200 Baret. [5, 4 et 4, 435 et 436].

sine coniunctione alterum illorum vocabulorum sequitur alterum, dissoluite dictas esse illas quae efficiuntur formulas putamus, etsi haud raro vocabulum unum plurave interposita inter illa invenimus.

Hoc autem loco non praetermittam, quod, ubi temporales particulae duae in unum locum componuntur, velut ,post deinde, tunc deinde, tum postea', creberrime utraque quidem significat ordinem,*) sed altera ad tempus, altera ad tenorem expositionis et disponendi rationem spectat. Quae interpretatio non ad omnes locos quadrat, cfr. Ellendt ad Cic. Orat. II, p. 92. Multis enim locis altera particula alteri eo solo consilio addita est, ut illa sententiam huic subiectam suppleret et confirmaret.

,Tum deinde' scriptum legimus ap. Liv. 2, 8, 3, [cfr. Weissenbornii et Madvigii adnotationes; sed Madvigium quidem dicentem ,tum deinde per se non recte dici' falli testimonio sunt alii qui sequuntur loci, velut] ap. Quintil. 12, 10, 11, 4, 2, 27, ap. Plin. n. h. 16, 44, 251. 11, 37, 131. 11, 37, 216, ap. Sil. Ital. 11, 407. 10, 535. 17, 16, ap. Sen. epist. 101, 4, ap. Gell. 19, 10, 13. 6 (7), 3, 47. 13, 24, 1. 12, 13, 6. 2, 8, 3, ap. Colum. r. r. 1, 6. 2, 18. 3, 13. 4, 23. 9, 5. 9, 11, ap. Grat. Falisc. 287, ap. Aurel. Vict. or. g. Rom. 12 extr., ap. Cels. med. p. 86, 6. 206, 2. 236, 9. 291, 18. 334, 37. 148, 35. 152, 9, ap. Justin. hist. 2, 1 extr., ap. Arnob. 5, 23. 7, 13. 2, 82. 2, 45 (bis). 2, 54, in anthol. lat. Riese p. I fasc. I. p. 5, 7, 1.

,Tunc deinde' ap. Sen. rhet. semel, ap. Sen. phil. bis, ap. Justin. inst. 2, 22, 3, ap. Val. Flacc., Plin. mai., Apul. semel, in Digest. septies, cfr. ,nunc deinde' anthol. lat. p. I. f. I. p. 26, 70.

,Deinde tunc' ap. Sen. rhet. contr. 5, 33 div., ap. Sen. phil. ter, ap. Vitruv. quater, in Digest. bis.

,Deinde tum' ap. Varron. l. l. 6, 6, 62 (42), ap. Vitruv. 8, 2, 2, ap. Cels. med. p. 349, 10. Vicem adverbii ,tum' ap. Plin. mai. praebet nonnunquam ,hinc', cfr. supra ,hinc deinde'. Cfr. etiam ,deinde deinceps' ap. Cic., ,tum deinceps' ap. Liv. et Gell., ,deinceps inde' ap. Cic. et Liv.

*) Ob quam unam causam — cum utraque significet ordinem — statuendum est cogitatione percipi potuisse coniunctionem inter illa positam.

,Post deinde' iam in leg. 12 tabul. scriptum invenimus — Gellius quidem (20, 1, 45) ita textum constituit —, tum ap. Plaut. Men. 3, 2, 8 [quem verum Brixii editio non exhibet, fortasse propterea, quod Plautus, tum postea' dicebat; sed h. l. ,primum' antecedit], ap. Ter. Andr. 483. Quibus locis, deinde' referendum est ad ,primum'; ,post' autem notat ordinem ad tempus spectans. Praeterea, post deinde' invenitur ap. Sen. benef. 2, 34, 1, ap. Verg. Aen. 5, 321, ap. Justin. inst. 1, 1, 2, 4, 6, 33, ap. Gell. octies, ap. M. Varr. ap. Gell. 3, 10, 7, ap. Censorin. d. n. 19, 4, ap. Lactant. 7, 5, 21, ap. Colum. r. r. 5, 6, in Digest. quater, ap. Arnob. 2, 12. [Cic. ad Att. 2, 23, 2 Mediceus omittit, post']. ,Et post inde' ap. Enn. Annal. rel. 1. XII. v. 11 Vahl., ,post haec deinde' [ap. Enn.] ap. Lactant. div. inst. 1, 14, ,post subinde' ap. Aur. Vict. or. g. Rom. c. 12 init. Cfr. Liv. 36, 43, 12. Similia autem apud inferiores creberrime.

,Postea deinde' ap. Sen. rhet. contr. 4, 27, ap. Plin. n. h. 35, 5, 29, ap. Cels. med. p. 284, 7, ap. Valer. Max. 9, 1 ext. 5.

,Deinde postea' ap. Cic. pro Mil. 24, 65, Tuscul. 4, 1, 2, ap. Liv. 41, 24, 20, ap. Plin. n. h. bis, ap. Justin. inst. 4, 14 pr., ap. Vitruv. 7, 9, 3, in Digest. sedecies, ap. Cels. med. p. 80, 33. 218, 1. 295, 31. ,Deinde post' ap. Gell. 3, 9, 5, ap. Just. hist. 41, 4, ap. Vell. Pat. 2, 23, 3, ap. a. bell. Alex. 52, 2, ap. Nep. Eum. 5, 5. ,Dein post' ap. Aurel. Vict. or. g. Rom. 14 (cfr. c. 15), ,dein postea' ap. Justin. in Trog. h. prol. 27.

,Deinde porro' ap. Plaut. Trin. 4, 2, 103, Epid. 5, 2, 61 (60). ,Tum porro' ap. Gell. 14, 7, 9. ,Deinde ad extremum' ap. Cic. Verr. 2, 1, 10, 23, Pis. 31, 78, ,deinde postremo' ap. Cic. de inv. 1, 28, 43.

,Tum postea' [fere in interrogatione positum] ap. Plaut. quinquies, ap. Terent. quinquies, ap. Gell. ter. Saepissime in illis quae his formulis antecedunt verbis ,primum' vel ,primo' simul auditur ita ut ,postea' ad illud simul auditum ,primum' referendum sit, velut omnibus illis Terent. locis.

,Denique tandem' [Reisig: tandem sagt, es geschieht zwar spät, aber es geschieht doch; denique sagt, daß das, was spät geschieht, zugleich auch der Reihe nach zuletzt erscheint] ap. Aem. Marcell. 17, 12, 10; ,tandem denique' ap. Apul.

ter, ap. Amm. Marcell. 26, 5 extr. Cfr. ,tandem tandem' [confirmandi causa] ap. Plaut. Curcul. 7.

Jam venimus ad ,ibi tum'. Ubi adverbio ,ibi' nulla alia subiecta est notio [in illa formula] nisi ea, quae principio in eo inerat: loci notionem dico, optamus ut semper altero ordine ponantur illa vocabula: ,tum ibi', velut ap. Plaut. Curc. 648 et ap. Gell. quinques [cfr. 16, 19, 10: tum — ibi]. Sed notio universa, quae est = ,hoc rerum statu' subicienda adverbio ,ibi' in illa formula videtur ita ut modo temporis modo loci notio praevaleat [saepe = dann unb unter solchen Umständen].

,Ibi tum' [quod nonnunquam valere: „dann — dort" per se intellegitur, saepe ,transitionis formula' est] invenimus [ap. Enn.] ap. Non. 518, 6, ap. Cic. Caec. 10, 27, in Verr. 2, 3, 60, 139, ap. Liv. quater, ap. Ter. Andr. ter, ap. Gell. sexies, ap. Stat. silv. 4, 6, 20, cfr. ,ibi — tunc' Gell. 9, 15, 2, ,deinde inibi' Gell. 14, 7, 9, cfr. Fronton. ep. p. 35. ,Hic tum' ap. a. bell. Hisp. 23, 3.

,Sic item' scriptum legimus ap. Qu. Muc. Scaevol. § 20 (Huschke p. 17), ap. Varron. l. l. sexies, ap. Caes. b. Gall. 1, 44, 8. Cfr. ,sic — item' Varr. l. l. ter; ,item sic' Varr. l. l. 6, 7, 70.

,Ita sic' (cfr. Georges lex. sub ,sic') ap. Liv. 2, 10, 11, cfr. Colum. r. r. 5, 9, Quintil. 2, 21, 20. ,Causa non est, cur ,ita sic' magis displiceat quam ,itaque ergo, iam nunc [Liv. 31, 32, 3]' similiaque alia Livio non semel usurpata'.

,Circum undique' ap. Verg. Aen. 4, 416 et 417, ap. Lucret. 3, 404, ap. Gell. quater, ap. Stat. ter.

,Circum circa' ap. Plaut. Aulul. 3, 4, 9, ap. Serv. ap. Cic. ad fam. 4, 5, 4, ap. a. bell. Hisp. 41, 4, ap. Sen. epist. 122, 15, ap. Apul. m. 10, 3, 758. Cfr. ,circumcircare' ap. Amm. Marcell. 31, 2, 23.

Non autem secus atque illae, quas modo attuli, dictae videntur hae formulae: ,ubi ubi, unde unde, ut ut, nunc nunc [Sil. Ital. 16, 427, cfr. anth. l. Riese f. I p. 175, 149 et p. 174, 118: tunc tunc], iam iam, modo modo, solum modo, tantum modo, dum modo'. ,Jam iam' quidem quin asyndeton sit non est dubium, cum saepissime ,iam iamque' scriptum legamus. Notio enim accelerandi geminatione augetur et confirmatur atque ad idem consilium spectat asyndeton. Cfr. Gell. 10, 29, 2. Unum autem vocabulum pleraeque illae form. postea efficiebant

uniquae accentui submittebantur, sed intellegendas esse eas principio dissoluite dictas existimamus ac ne a Romanis quidem aliter indicatum esse de illis, procedente autem tempore plus plusque neglectam esse coniunctionem.

Neque has formulas, cum haud dissimiliter illis dicerentur, excipimus, quae sequuntur: ,quoque etiam, sed autem, ergo igitur, itaque ergo, [quasi velut], namque enim. Neque enim quisquam efficiet in cogitationem non cadere, ut coniunctio inter haec singula verba ponatur, ubi componuntur.

,Quoque etiam' [quoque' vergleichend, etiam' intensiv, cfr. Kuehner. lib. gramm. II, 2, p. 667, 2 et p. 1053, 7; sed non omnia gravia exempla apud eum invenimus, cfr. etiam Holtze synt. prisc. lat. II, 340] scriptum legimus ap. Plaut. undecies, ap. Terent. ter, ap. Cic. de orat. 1, 35, 164 [sed hic locus in controversia relinquitur, cfr. Adler append. crit. ad h. l.], ap. eund. in Verr. 2, 3, 88, 206 et ad fam. 4, 8, 1 [cfr. Woelfflin. orat. de lat. Cassii Fel. p. 427].

,Quoque et' ap. Verg. Aen. 1, 5; cfr. ,quoque itidem' ap. Gell. bis.

,Quoque — etiam' ap. Plaut. Amph. 281, Trin. 1048, cfr. Plin. n. h. 16, 5, 15.

Sin autem ,etiam' antecedit, ,quoque' fere semper separatum est graviore notione interposita, cfr. Plaut. Asin. 502 [etiam tu quoque]. 567, Amph. 798. 461. 702, Pseud. 121. 353, Mostell. 1096, Lucret. 5, 153. 6, 503, Varron. r. 1, 2 (1, 1, 3), Gell. 18, 12, 9, Plin. ad Traian. 96 (97), 6.

,Etiam quoque' autem ap. Lucret. 5, 517. 5, 604. 3, 292. [Cfr. ,et — quoque' ap. Sen. epist. 88, 24, ap. Gell. ter.]

De formula ,sed autem' cfr. Kuehner. II, 2, 685, 6, apud quem omnes locos collectos invenimus praeter Plaut. Bacch. 515 (3, 4, 22), quo loco non dicitur illa in interrogatione, ut solet. Item cfr. Kuehner. II, 2, 690, 5 de ,ast autem'.

,Ergo igitur' [cfr. Kuehner. p. 745, 14 et 15] proprie = folglich und um auf die Sache zurückzukommen. In ,itaque ergo' declarat ,ergo' eandem sententiam, quam ,igitur' in ,ergo igitur'. Nam ergo „wird auch zur Wiederaufnahme eines unterbrochenen Gedankens gebraucht“. Cfr. ,quare

ergo' ap. Plin. min. et proinde igitur' ap. Gell. ter, [id. circò igitur' Digest. 24, 1, 32, 24].

Ad ,etsi quamvis' et ,quamquam etsi', quae formulae huc non referuntur, cfr. Kuehner. II, 2, 1053, 7; ad ,quamvis licet' p. 960, 1.

,Quasi velut' invenimus ap. Apul. de deo Socr. prol. 106.

,Namque enim' ap. Plaut. Trin. 60 [Brix; sed Fleckeis. ,nempe enim'.]

Hanc difficilem quaestionem h. l. eo solo consilio excussi, ut exquirerem quid placeret de hac re illis quorum iudicii est disceptatoribus. *)

Ex eo autem, quod Apuleius potissimum duo ,synonyma' adverbium vel particulas sine copula componebat, potest effici multas illarum formularum communi sermone tribuendas esse et apud comicos tragicosque veteres usitatores etiam fuisse quam demonstrare possumus. In rectam autem et puram loquendi consuetudinem perpaucas eiusmodi formulas receptas esse ex multis exemplis iam intelleximus.

Adiuvantur vero illae formulae asyndeto ,magis magis', quocum aliquam habeant similitudinem.

Hanc formulam imitatione ex Graeca lingua [Menander: μάλλον μάλλον; omnino solis poetis concessa esse videtur] expresserunt Catull. 64, 274 (275). 38, 3 et Verg. Georg. 4, 311 [Catull. 73, 4: ,magisque magis' exemplar Veronense praebet, quae lectio improbat].

Sed apud alios ,magis ac m.' invenimus, velut ap. Hor. sat. 2, 4, 60, ap. Sen. philos. ter, ap. Plin. n. h. 12, 1, 2, ap. Sueton. ter, ap. Tac. bis, Plinii autem minoris ,ac' in illa formula proprium erat; raro igitur illa vocabula

*) Atque postquam confeci et absolvi hanc commentationem, ex Woelffiani, benignissimi studiorum meorum adiutoris, oratione de lat. Cassii Fel. [Africi] habita [cfr. ann. Bavar. acad. liberal. art. 1880, IV, p. 427] cognovi hunc ipsum praeceptorem carissimum statuisse has de quibus modo disputavi aliasque similes locutiones ἀσυνδέτως positas esse. Qua sententia opinio mea confirmata est. Nam facile intellegi potest, si statuimus ,iam iam, propere celeriter, magis magis' per asyndeton dicta esse, existimandum esse etiam illas formulas ,sed autem, namque enim, quoque etiam' omnesque supra commemoratas ἀσυνδέτως positas esse. Sed ne nunc quidem censeo hanc quaestionem habere facilem quandam rationem.

per ,ac' (vel ,et') copulari Draegerus II, 3, p. 36 dicens non vere indicat; ,mag. et m.' quidem raro invenimus, cfr. carm. Priap. 85, 4, Cic. ad Att. 16, 3, 1. 14, 18, 4, anth. l. Riese f. II, p. 240, 775, 4, item ,m. atque m.' perraro invenitur [ap. Verg. bis et in anth. lat. I, f. I, p. 46, 36 et 38], sed ,m. magisque' saepissime [ap. Sall. et ap. Apul. quinques].

Similitudine huius asyndeti concluderit quispiam dicta esse ,minus minus' et ,plus plus'. Sed neutrum inveni traditum. ,Minus minusque' et ,minus et m.' [ap. Ovid. ter, ap. Plaut. et Hor. semel] apud poetas solos inveni, ,min. ac m.' ap. Liv. 26, 17, 12, ap. Plin. n. h. 11, 10 (10), 26, ,m. atque m.' ap. Verg. Aen. 12, 616; ,plus plusque' ap. Plaut. Aulul. 538 (3, 6, 10) et ap. Cic. ad Att. 6, 2, 10.*)

Circumspiciamus postremo: ,procul ac procul', quam formulam invenimus ap. Apul. m. 7, 2, 448 (cfr. Hildebr.); sed lectio: ,procul procul', quam plures cod. in Hor. epist. 2, 2, 199 exhibent, iure ac merito, cum huius loci verba omnino ,nihil tragici et commoti' contineant [cfr. Orelli], spernitur, nisi forte ,procul procul' antiquissima formula est. Sed nusquam inveni eam. In Verg. autem Aen. 6, 258: ,procul o, procul este' et in Juvenal. 14, 45, in Stat. silv. III, 3, 13 et in Ovid. amor. 2, 1, 3 aliter res se habet; neque enim his locis desideratur connectio ulla.

Cfr. hoc l. quae Woelfflinus (compar. lat. et rom. p. 5) de ,valde valde, bene bene, melius melius' dixit.

Jam transeam ad substantiva, atque in meam rationem revertar, postquam diu fui in lubrico.

Antiquissimum quod huc spectat exemplum haud scio an illud sit, quod in carm. frat. arv. invenimus: ,neve

b) de
substantivorum
dissoluto.

*) Breviter commemoro „multo multoque“, quod Draegero (II, 3, p. 39) semel tantum usurpatum videtur [ap. Val. Max. 4, 1, 2], scriptum exstare in epist. ad Caes. sen. de rep. 1, 1, 8, ap. Front. ad M. Caes. 2, 2 (p. 28 N.), ap. eundem ad Anton. imp. 1, 5 (p. 102), ep. suad. p. 214, ap. Mamertin. grat. act. Jul. 21 (p. 261).

luæ ruæ' vel **,lue rue'** = ne luem ruem [cfr. Mommsen. hist. Rom. I, p. 221, sext. ed.]. Quæ verba Buecheler [in progr. Bonn.: antholog. epigraph. lat. spec. III] mutavit in: ,ne vel verve' (?). Equidem vero cum nihil, quod mediocriter simile sit vocabulis ,lue rue', invenerim, meum adhibere iudicium neque possum neque volo.

Jam iamque commemoremus, quamquam illae notiones, de quibus agitur, diversæ erant principio, formulam: ,patres conscripti', quæ ex antiquo tempore usitata erat; cfr. Liv. [2, 1, 11]. 2, 29, 1. 2, 48, 8. 3, 21, 4 et 6. 3, 52, 6 aliosque, Paul. Diac. p. 7, 6. Haec verba principio pro ,p. et conscr.' dicta esse, postea autem confluisse in unam notionem constat.

,Ventis remis' [ventis sc. secundis, remis sc. incitatis].

Hoc asyndeton semel tantum scriptum legi idque ap. Cic. ad fam. 12, 25, 3. Proverbii autem vestigiis notata formula est, quæ a re navali translata cum maximam indicat celeritatem tum valet: ,omni contentione virium'; similis igitur est nostro: mit allen Segeln. Ex maritimum autem hominum vivendi genere, qui aut navigationis aut piscatus officia praestant, multa proverbia hausisse Romanos, potissimum comicos poetas, demonstravit Schneider de prov. Plaut. — p. 11. Sed per coniunctionem conexa eadem raro inveni, cfr. Verg. Aen. 3, 563: ,remis ventisque' [proprie dicta], Flor. 1, 18 (2, 2), 18, Mamert. grat. act. Jul. 8.

Crebrius autem dicebant scriptores: **,vells remis-que'**, cfr. Cic. Tusc. 3, 11, 25 [= ,omnibus viribus atque opibus', quæ verba ipsa antecedunt], Sil. Ital. 1, 568 (proprie), item Plin. n. h. 32, § 1, cfr. etiam Sueton. Calig. 32, Plin. epist. 8, 8, 3, Plaut. Asin. 157 (1, 3, 5).

Sed ubi vehementissimam virium contentionem significare volebant, dicebant: **,equis viris'**. Sumpta sunt hæc verba a re militari, cum equi et viri, id est equitatus et peditatus, milites omnes et totum belli robur comprehenderentur. Ut ,ventis remis' ita etiam ,equis viris' semel tantum ἀσυνδέτως positum inveni idque ap. Cic. ad fam. 9, 7, 1 [cfr. trimembre: Cic. philipp. 8, 7, 21 proprie, et Flor. 1, 13 (18), 6]. Sed compara cum his: ,viris equisque, ut dicitur' [mutato ordine] ap. Cic. de off. 3, 33, 116, cfr. Curt. 3, 3, 26 (8), Liv. 5, 37, 5. l. 30, 11; Flor. 1,

23, 8, Sidon. Apoll. carm. 20, 382; efr. etiam infra ,equi viri que'; proverbii loco dici solet: ,quidquid superest virium equis virisque' [„der letzte Hauch vom Mann und Roß" Blücher].

His et illis quae sequuntur formulis, quarum articuli non omni, sed aliqua ex parte tantum diversi inter se sunt, quasi una notione et uno vocabulo, cum in frequentem usum venissent, scriptores utebantur vix iam illud respicientes, quod illi singuli articuli quodammodo diversi inter se sunt. Itaque iudicandum esse de illis proinde ac de iis exemplis opinor, in quibus duo vocabula nullo alio consilio nisi cumulandi et confirmandi causa dicta dissolute componebantur. Quam ob causam illas formulas in numerum asyndetorum eorum, quae posui in capite altero, retuli, etsi in contrariorum numerum cum causa ascribi potuisse concedendum est.

,Manibus pedibus' = ,omnibus nervis' vel ,summa vi'; similiter Graeci: χερσίν τε ποσσίν τε [iam ap. Hom.], καὶ χερσὶ καὶ ποδί, πῆξ καὶ λάξ. Per manus declaratur industria conficiendi negotii, per pedes maturandi celeritas.

Asyndeton autem hoc scriptum legimus ap. Ter. Andr. 676 [man. ped. unam notionem conficientia cum ,noctis et dies' h. l. per ,que' copulantur]; sed coniunctionem adiunxit Ter. Andr. 161 et Fab. Pict. l. 16 [Huschke p. 4]: ,aquam man. ped. que dato'. Altero ordine, sed non translate dixit Plaut. Most. 5, 1, 69: ,cum ped. man., cum dig. —', ex quo exemplo intellegi potest proverbii speciem illa habere; nam cum ,pedes' et ,manus' quasi unam notionem complectantur, post ,man.' demum repetitur ,cum'; cfr. Plaut. mil. glor. 630: sum pernix man., ped. mobilis; ex quo exemplo cognoscimus alterum vocabulum mira quadam vi alterum ad se attrahere.

Hoc loco commemoremus illud ,**vi pugnando'**, quae verba dissolute dicta esse certum habeo. ,Vi' enim non ita adverbialiter profertur, ut ex ,pugnando' pendeat, sed aequandum est ablativo: ,pugnando', quo vocabulo ipsum illustratur. Usurpantur igitur haec verba pro ,vi pugnando-que', quae ipsa scripta legimus ap. Plaut. mil. glor. 267. Iisdemque verbis demonstratur, quod ipsum haud scio an ex collocatione verborum in Plaut. Asin. 555: ,pugn. vi' colligi possit, in illa formula asyndeton statuendum esse. Anti-

quissima autem exempla scripta exstant ap. Plaüt. Amph. 414 et Asin. 555; in Men. 1054 (5, 8, 5) ‚vi‘ et ‚pugnando‘ in unam notionem coalescunt contra ‚ingratiis‘ posita. Priscum autem et vetustum videtur illud quoque exemplum, quod profert Garrucci [p. 141: 195, XCV]: ‚vi pugnandod‘ ex columna Rostrata, etsi huius inscriptionis eadem quae nobis tradita est forma non antiquissimo, sed Claudii imperatoris demum tempore orta est.

Jam aggrediamur difficilem locum: Cic. Tusc. 3, 3, 6: ‚opibus viribus‘. Haec optimorum librorum scriptura ut teneatur, omni ratione contendimus. Tregderus autem et Baïterus ‚viribus‘ uncis incluserunt, cum a Gryph., Bern., uno Lall. plane absit. Ac Wesenbergius offendit in dissoluto illo cum propter adiunctum ‚omnibus‘, tum verò, quod, ut Wolfius videbat, haec non ita proverbialis locutio esset, ut illae ‚equis viris, ventis remis‘, in quas celerius pronunciatas brevitatis illa dicendi conveniret. Sed nequam mirum est illud ‚omnibus‘, neque enim de dissoluti ‚op. vir.‘ vi et gravitate quidquam detrahitur eo, quod ‚omn.‘ adiunctum est. Quamquam vero concedimus inter hoc ‚omn.‘ et alteram a Wesenb. prolatum exemplum [Tusc. 1, 26, 64, quod alius generis est, inquit, quam nostrum ‚omn.‘, cfr. epist. ad Qu. fr. 3, 1, 3, 10, or. 22, 73] aliquantum discriminis intercedere, cum illo a Wesenb. allato loco ‚supera infera‘ et cet. tamquam appositionis loco adiuncta ad ‚omnia‘ sint intellegenda ac cum ‚omnia‘ illo l. in contrariis dictum comprehendendi vim habeat maiorem quam hoc l., ubi ‚omnibus‘ ad ‚op.‘ et ad ‚vir.‘ pariter pertinens acutissime cohaeret cum utroque nec per se solum usurpatur, tamen adiectivum ‚omnibus‘ h. l. vocabulis paene unam et eandem vim in sese habentibus adiunctum neque asyndeto nocet neque supervacaneum est, quippe cum augendi confirmandique causa additum sit cumque de duabus notionibus, quamvis propinquaes significationis sint, agatur. Cfr. Tusc. 3, 11, 25: ‚omnibus vir. atque opibus. Nulla igitur probabilis causa excogitari potest, cur Cicero non potuerit adiungere ‚omnibus‘ ad ‚opibus viribus‘, quamquam nullo loco Cic. ‚omnis‘ duobus synonymis ἀσυνδέτως positis additum invenimus.

Etiam Seyffertus Wesenbergii sententiam impugnat locum Cic. p. Flacc. 6, 14 afferens: ‚omnemaque — auct. grad.‘

cop. op. et dicens: ,nihil differre unone membro dicatur omnesque ei suas copias opes detulisse an duobus, uti factum videmus'. Sed haec res illum fallit. Nam aliquantum profecto interest, utrum duobus membrorum paribus an uni pari adiunctum sit ,omnes' vel ,omnia': binis iuxta compositis asyndetis adiunctum esse ,omnis' vel aliud vocabulum, cui comprehendendi vis subiecta est, multo crebrius invenimus quam uni membrorum pari. Cfr. Cic. Cluent. 54, 148: omnes, viri mulieres, liberi servi, similiter in Verr. 4, 54, 120, ad. fam. 5, 8, 5. 15, 9, 1, Tusc. 1, 26, 64, Sall. Jug. 76, 1. Uni pari adiectum voc. ,omnis' inveni ap. Cic. de off. 1, 35, 126 et phil. 10, 9, 19. Illis locis, quos prius attuli, vocabulo ,omnis' haud facile caremus, cum multa atque varia comprehendenda sint; sed etiam his locis illud complectitur duas notiones. Sed Seyffertus, ut mea fert opinio, omnino deerravit ea re, de qua h. l. agitur. Non enim propterea Wesenb. offendit in ,omnibus', quod uni pari h. l. adiunctum est, sed potius ideo, quod synonymorum, non contrariorum par, cui illud additur, h. l. scriptum legimus. Sed Wesenb. hactenus perperam iudicat, quod concedendum est etiam vocabula ,opes' et ,vires' quodammodo diversa inter se esse.

Altera autem ratio, quam Wesenb. reddidit, probabilior est quam haec. Neque enim pro certo affirmari potest ,opibus viribus' ita proverbialem locutionem esse ut: ,equis viris, ventis remis' sunt; quae multo usitatiorum erant atque iisdem verborum immutatio favebat. Sed omnia proverbii signa nequaquam desunt, quia Plaut. Merc. 1, 2, 1: ,ex summis opibus viribusque' dixit et Cic. ipse Tusc. 3, 11, 25: ,viribus atque opibus' [cfr. Sen. de clem. 2, 6, 3].

Deinde h. l., ut Kuehnerus ad Tusc. 1, 4, 7 recte monet, duae notiones singulares coniunctae unam eamque magis generalem efficiunt et, ubi res ita se habeat, asyndeton rectissime et loco positum esse ex multis exemplis iam perspeximus, cfr. Tusc. 5, 21, 61, ubi ,opes et ,copiae' dis-solute dicta sunt'. [Seyffertus quidem ,opes' delevit, sed iniuria.]

Tum quamquam Cic. Tusc. 3, 11, 25 ,omn. vir. atque opibus' dixit, tamen hic l. dubitationem non incit. Neque enim illa consuetudo breviter dicendi, ne in proverbialibus quidem locutionibus, a scriptoribus observata est religiose, sed saepe deflexerunt illi ab hoc more. Sed illud quoque respiciendum est, quod illo loco [3, 11, 25] Cicero

verbis illis altero ordine collocatis ,vir. atque op.‘, non ,op. atque vir.‘ dixit. Haud scio an ,atque‘ non usus fuerit, nisi mutavisset ordinem ,opibus vir.‘ Itaque ,op. vir.‘ proverbialis sane formula, esse possit; ,vir. atque op.‘ autem extra formulam est posita locutio [quam ob rem non abest ,atque‘]. Quis vero effecerit in hanc locutionem ideo, quod haud ita celeriter pronuncietur ut illae ,equis viris, vent. remis‘, brevitatem dicendi minus convenire quam in illas? Immo vero illae celerius pronunciabantur certe propter eam rem, quod crebrius usurpatae erant et vim potestatemque principalem perdiderant multo usu. Ciceronem autem eximie nonnunquam delectatum esse asyndeti sollemnis iis exemplis, quae nihil aliud spectant nisi brevitatem aut venustatem, iam ex compluribus exemplis cognovimus.

Postremo omissio vocabuli ,viribus‘ in Gryph. et Bern. excusatur simili vocum ,opibus‘ et ,vir.‘ terminatione, ut recte monet Seyffertus. Itaque retineamus lectionem ,opibus viribus‘. Cfr. similia: ap. Plaut. Asin. 245 (opibus, omni copia), Most. 2, 1, 1, ap. Caes. b. Gall. 1, 20, 3, ap. Cic. ad Att. 14, 14, 6, Tusc. 2, 24, 56; [Tac. hist. 4, 86: opes viresque, cfr. Liv. 36, 34, 10].

Alia ratio est formulae ,armis viris‘, quam sine copula scriptam legimus ap. Liv. 35, 35, 7 et 28, 37, 8 [inverso ordine], item ap. Flor. 1, praef. § 6, cfr. autem Liv. 22, 39, 11 [quattuor membra] et 24, 40, 3: ,neque moenibus neque viris atque armis‘, ubi pro ,atque‘ usurpandum erat ,aut‘, nisi illae duae notiones artissimo vinculo, sententiae ratione, inter se coniunctae essent aut efficerent notionem unam. Solebat autem Liv. dicere: ,armis virisque‘ [octo locis], cfr. etiam 8, 13, 1; rarius [ter] dixit: ,viris armisque‘. Muellerus igitur ad Liv. 24, 40, 3 dicens: ,vir. arm. que‘ solere dici a Liv. errat. Tum invenimus ,armis vir. que‘ ap. Sall. Jug. 57, 1, ap. Curt. ter, ap. Sen. dial. 2, 4, 3, ,armis ac viris‘ ap. Liv. 10, 45, 12; alios autem horum vocabulorum casus copulabant scriptores, velut Liv. 39, 1, 7. 8, 25, 3. Paucis commemoro illa verba nonnullis locis translate dicta significare, omnibus totisque viribus‘; cfr. Flor. 1, 22 (2, 6), 38. [Trimembre: epist. ad Caes. s. de rep. 2, 1, 3, Liv. 10, 16, 6, Cic. phil. 12, 4, 9, Tac. hist. 1, 51].

Ciceronem, ubi tres articuli in unum locum componerentur, semper dissolute dixisse: ,armis equis viris‘ affirmavit

Muellerus ad Liv. 24, 24, 8; sed cur Liv. 23, 15, 13 et 26, 5, 9: ‚virorum equor. armorumque‘ dixerit, 35, 44, 5 autem: ‚armis vir. equis‘ et 44, 1, 6 et 23, 24, 9 [his duobus l.]: ‚arma viros equos‘ equidem haud prorsus intellego; nisi forte ideo tantum coniunctionem addidit, quod tres illi genetivi syllabis ‚orum‘ terminantur, quae res mediocriter emendatur coniunctione ‚que‘ addita.

Transeamus iam ad ‚**signa tabulae**‘.

Seyffertus coniectura locum Cic. in Tusc. 5, 35, 102 emendavit: ‚signis, credo, tabulis studes‘. Wesenberg. autem non dubitat, quin Cic. scripserit ‚signis, cr., et tabulis‘; scilicet ‚et‘ ante ‚tabulis‘ excidisse. Haud dubium videtur, quin ‚et‘ ille inferre voluerit propterea, quod ‚credo‘ interpositum est. [Codices autem exhibent: ‚signis credo tabulis ludis‘]. Sed ‚et‘ particula, quam nullus cod. scriptam praebet, non necessario addenda est, ne ideo quidem, quod ‚credo‘ est interpositum. [Cfr. ‚pacto quoque convento‘ Digest. 2, 14, 27, 6, deinde 20, 6, 7, 2; et infra ‚usus fructus‘]. Nam ‚signa‘ et ‚tabulae‘ compluribus locis Ciceronis aliorumque composita inveniuntur coniunctione dempta, cum tamquam partes universi imaginum generis comprehendantur illis. Itaque ex Cic. ad Att. 6, 9, 5: ‚de signis tabulis‘, cum neque praepositio ‚de‘ repetatur neque coniunctio addatur, colligere licet illa duo vocabula proverbiali figura dissolute esse dicta. Tum: ‚signa tabulas, —‘ [duo paria] Cic. parad. 6, 3, 49, cfr. phil. 2, 42, 109 (insigne exemplum), in Verr. 4, 59, 132. 4, 4, 8. 2, 1, 22, 60, de domo s. 43, 111, Sall. Cat. 52, 5. 11, 6, Sueton. Jul. Caes. 47, Flor. 1, 13 (18), 27; satis sane crebro illis verbis particula additur [ap. Cic. septies; praeterea ap. Plip. mai., Quintil., Flor.].

‚**Forte fortuna**‘ [= bona fortuna]; quibus verbis Romani opportunitatem forte oblatam et casum secundum significabant. Ut enim fortuna, ita saepe ‚fors‘ et ‚fors fortuna‘ dea ipsa est, dea felicitatis et rerum prosperarum [Klotz. lex.: „wobei dann freilich der indifferente Begriff (fors) in den positionen: „der glückliche Zufall“ übergeht“]. Illa autem verba per asyndeton dicta esse testimonio sunt hi loci: Lucil. ex sat. rel. 13, 1 (p. 36 G.): aut forte — ac fortuna (ap. Non. 425, 16 sq.), L. Attii fragm. (Cramer 10, 137 p. 62): fortunane ap. forte. est. fragm. Androm. 4, Apul. de mag. 72, 545.

Asyndeton ipsum scriptum legimus ap. Plaut. Bacch. 916, mil. glori. 2, 3, 16 [287 Fl.], ap. Ter. Eun. 134. 568, ap. Cic. de divin. 2, 7, 18, ap. Apul. m. 10, 5, 687, ap. Fronton. ep. p. 95 Nab., ap. Gell. 1, 3, 30, cfr. fortuna et felicitate Cic. ad fam. 1, 9, 7. Fors et Fortuna saepissime sine particula componuntur.

,Linguis moribus'.

Haec substantiva ἀσυνδέτως posita inveni ap. Tac. hist. 3, 33, altero ordine: ,m. l.' ap. Curt. 4, 13, 47 (4); eademque videntur, cum ap. Curt. nulla fere asyndeti exempla scripta legamus nisi sollemnia [pauca], proverbii speciem habere, cfr. Liv. 8, 6, 15, sed 21, 32, 10: lingua moribusque, 40, 57, 7: aut — aut, Amm. Marcell. 22, 8, 11: l. et m.

Quocum compara: ,moribus legibus' in Digest. 49, 15, 19, sed ,m. leg. que' 24, 1, 3, 1, cfr. 50, 13, 5, 1. 50, 16, 214, Liv. 30, 37: iura leges mores.

,Loca lautia' [cfr. Hildebr. ad Apul. m. 3, 26, 223].

His verbis declaratur hospitium, quod Romae adversus alienos legatos vel nobiles hospites honoris gratia publico consilio et sumptu colebatur et versabatur in curatione lautae cenae et lotus aliarumque ad vitam necessariorum rerum, praeterquam quod in theatris et senatu aut comitio praebantur certae sedes. Posteriore autem tempore, cum quid ,loca lautia' essent plane ignoraretur, a grammaticis illa mutata esse in ,loca lauta', quae non solum eorum libros occupaverunt [cfr. Serv. ad Verg. Aen. 8, 361], sed in manu scr. cod. etiam irrepserunt, iam Hildebr. all. l. demonstravit.

Scripta legimus illa verba ap. Liv. 42, 26, 5: loca lautia, ap. eund. 43, 16, 7, cfr. 45, 20, 6. 30, 17, 14. 35, 23, 11, deinde ap. Apul. m. 9, 11, 614. 3, 26, 223 [translate], cfr. Sidon. Apoll. epist. 8, 2 extr. Baret, Symm. ep. 4, 56, Serv. Verg. Aen. 8, 361. Draegerus II, p. 191 existimans ,loca lautia' nusquam scriptum exstare nisi apud Liv. et Apul. perperam statuit. ,Locum lautia que' scriptum legimus in frgm. sen. cons. de Asclep. et cet. [Garrucci p.

278: 995, 8 = 203, XXX M, ap. Grut. p. 503.]. In Liv. l. 28, 39, 19 autem ,que' adiunctum esse propter interpositum vocabulum ,inde' ille recte monet. Eadem vocab. conecit copula ,et' ap. eundem 33, 24, 5, quem locum Draegerus videtur non novisse. [Cfr. denique Mommsen, *röm. Forschungen* I, 344 et 345].

,Aius Loquens' [,Locutius'] aliquam comparisonem habet cum ,Fors Fortuna'.

Ex Cic. de divin. 2, 32, 69: ,Aius iste Loquens -- et aiebat et loquebatur' cognoscimus coniunctionem non solum posse cogitari inter illa verba, sed etiam necesse esse. Atque ob hanc causam in numerum horum as. ascribendum est. Quid autem haec verba significant, explanat Cic. ipse illo loco.

Pro altero illorum optamus ut vocabulum a ,fari' ductum usurpatum sit. ,Aio' autem loco positum est, cum in ,aio' insit fere semper gravioris cuiusdam asseverationis seu affirmationis notio.

Invenimus verba illa apud eundem Cic. de divin. 1, 45, 101, sed ap. Liv. 5, 50, 6 et 5, 52, 11 non ,A. Loquens', sed ,A. Locutius' scriptum legimus. Etiam Arnob. [adv. nat. 1, 28: Aios Locutios [ex coniect.] et Sext. Rufus [de urbis Rom. reg. VIII] commemoraverunt illum deum. Sed M. Varron. locus ap. Gell. 16, 17, 2 huc non spectat.

Proverbii locum obtinere videtur etiam ,**aræ focis'** [= *Haus und Hof, heimattlicher Herd*].

Quod asyndeton scriptum legimus ap. Cic. pro Sest. 42, 90: ab aris focus. Ciceronem h. l. de sacramento militari cogitasse est verisimile. Nam milites, ut ait Erasmus [in adag.], inter cetera etiam iurabant se pro aris focus pugnaturos. Ex quo autem fonte haec verba repetita sint, explorare non possum. Apud Gell. quidem 16, 4 non scripta legimus illa. Sed ex eo, quod neque ,a' repetitum neque coniunctio a Cic. illo l. addita est, fortasse potest effici ,aræ focis' [,pro aris focus'] in proverbii consuetudinem venisse, quamquam Liv. 9, 12, 6: ,pro aris ac focus dimic.' [cfr. 5, 30, 1] et Sall. Cat. 59, 5: ,pro aris atque focus' dixerunt, quae verba similitudinem aliquam cum illius iuris iurandi verbis habent [cfr. Sall. Cat. 52, 3, Gell. 19, 9, 8].

In enumeratione positum hoc as. saepe invenimus: ap. Liv. 26, 13, 13, ap. Cic. phil. 8, 3, 8, ap. Front. ad Ver. 2, 6 p. 133 N. [cfr. iam Plaut. Amph. 226]; sed coniunc-

tionem additam illis haud rarius invenimus: ,et' ap. Cic. quinquies; praeterea ,atque, ac, que' inveniuntur.

Item ,patria domo', quod asyndeton publico dicendi generi est tribuendum aut illi, quod in sacris versatur, proverbii locum obtinet. Scriptum legimus hoc asynd. ap. Sall. Jug. 14, 11 et 14, 17, cfr. autem Gell. 2, 12, 1, Plaut. Men. 5, 9, 10, sed huc non spectant Plaut. Merc. 5, 1, 2 [patria' adiect.] et Liv. 1, 1, 8 [ubi ,patria' illud ,domo' ad se allicit].

Proverbii denique speciem habent haec quoque asyndeta: ,victus vestitus', ,voce vultu' [vultu], ,vi virtute', in quibus respicienda est alliteratio, quae conjunctionis vicem praebet.

,Victus vestitus' invenimus ap. Ter. Heaut. 968 et ap. Auson. Popm. de instrum. fundi 4, sed: ,v. vest. que' ap. Cic. pro Quinct. 15, 49 et in Digest. 38, 1, 18, cfr. Vulg. deuter. 10, 18, Salvian. ad eccles. 2, 61, Augustin. civ. dei 6, 9 B. 1 p. 266, 16 D^a, Lucret. 4, 1131: veste et victu; cfr. etiam Thielmann. progr. Spirensis 1881, p. 21 et 22, in quo complures locutiones, velut ,fugae formidines, carcer catenae, ferrum fames' indiligenter afferuntur, quasi per asyndeton bimembre dictae essent. Quae res alia est: nusquam haec substantiva per bimembre as. dicta invenimus, sed ubique ab aliis subst. excipiuntur, quod diligenter observandum est.

,Voce vultu' scriptum legimus ap. Tac. ann. 3, 67, cfr. 15, 55, 16, 29, auct. ad Her. 4, 19, 26. Quodcum librarii in Plin. n. h. 33, 4, 73 [voce, nutu] propter imprudentiam videantur lapsi esse, haud scio an legendum sit: ,voce vultu'. Cfr. Sall. Catil. 31, 7, ex quo solo exemplo efficiendum est illa in proverbii consuetudinem venisse, et anthol. l. R. f. II, p. 164, 27. Sed ,voce et vultu' Cic. ad Att. 2, 8, 1, cfr. Gell. 18, 7, 3, 19, 10, 10, 9, 2, 3, 4, 1, 1, auct. ad Her. 3, 11, 19, Liv. 36, 32, 5, Cic. ad fam. 10, 1, 1, Verg. Aen. 5, 649. Cfr. ,verbis vultu' Cic. ad fam. 13, 6, 4, sed: que ad Att. 5, 1, 4, cfr. anthol. l. Riese p. I f. I. p. 43, 142 et Fronton. p. 238: vultu —, verbis.

,Vi, virtute' semel tantum scriptum legi idque ap. Apul. m. 4, 8, 254 [particulam ,et' importune illatam recte Hildebr. eiecit]. Sed ,vi et virtute' iam Plaut. Amph. 191,

cfr. Liv. 21, 41, 17. 22, 5, 2. 23, 45, 10. 25, 23, 1. 25, 38, 10. 26, 39, 11, Gell. 17, 2, 14.

Dissolute dicta invenimus etiam **,aurum^c** et **,argentum^c** ap. Cic. de leg. agr. 2, 22, 59 [sed citata verba]; cfr. Digest. 34, 2, 15: in auro argento, deinde Liv. 45, 40, 1, Plin. n. h. 34, 13, 137, Jul. Paull. sent. 5, 25, 1: aureos argenteos, Sidon. Apoll. epist. 4, 5: trimembre, item Arnob. 5, 14 [Hippon. fr. 8]; sed coniunctio saepe est addita, velut eodem illo Livii l. 45, 40, 1.

Num autem **,pudor pudicitia^c** proverbii locum obtinuerit, iniudicatum, cum haec subst. semper in enumeratione posita vel cum aliis paribus coniuncta invenerim, relinquerem, nisi in alliterationis figura tanta persuadendi necessitas esset, ut propter hanc solam rem credendum sit illa ἀσυνδέτως posita proverbii speciem habere. Scripta legimus haec ap. Cic. pro Mil. 28, 77 (tria paria) et de harusp. resp. 20, 43 (quinque), deinde in epist. ad Caes. s. de rep. 2, 7, 8, cfr. Sall. Cat. 12, 2, Plant. Amph. 840.

Cum **,precibus pretio^c** (= burđ Bitten umb Bieten), quod as. invenimus ap. Ter. Eun. 1055 et ap. Phaedr. f. 5, 7, 18, cfr. Sidon. Apoll. carm. 4, 299: ‚nil prece, nil pretio, nil milite^c.‘

Circumspiciamus postremo: **,servos ancillas^c**, quod as. inveni ap. Plant. Trin. 799, Cas. 3, 1, 7, Men. 339, ap. Ter. Heaut. 142, cfr. autem Digest. 32, 60, 1. 32, 73, Aulul. s. Querol. p. 40, 6 [et], **,donum praemium^c** ap. Ter. Eun. 1057; **,condus promus^c** apud Plant. Pseud. 2, 2, 14 (608 Fl.), quocum compara illa proverbii loco celebrata verba: **,bonus condus, bonus promus^c**, **,condus requirit promum^c**, **,promus magis quam condus^c** [Auson. ep. 22, 10]. Ex quo autem fonte illa sint repetita nescio.

,Donis hostiis^c [ap. Plant. Rud. 23], quod as. proverbiale fuisse suspicio est, nusquam alibi inveni.

Jam disputandum mihi est de iis formulis, quae in forensi potissimum et publico sermone atque apud iuris prudentes dicebantur. Hos enim iam antiquo tempore id spectantes, ut impedirent, quominus leges perverse vel auxie perciperentur, saepe, ut omnia accurate exponerent et exse-

querentur, quae in causa essent, verba cumulasse neque copulavisse ea ex illis quae statim sequuntur quaeque infra afferam exemplis intellegemus. Illam igitur a comicis e sermone communi petitam et in orationem politam translata, ut videtur, consuetudinem accurate dicendi eandem iurisconsulti asciverunt, nisi ipsi prius quam comici illam introduxerunt. In iuris consultorum enim, qui a. sollemne eximie excoluerunt, literis atque in antiquissimis literarum monumentis, quae ad iuris disciplinam pertinent, in legibus, saepissime alterum vocabulum altero declaratur et illustratur, ut omnia facilia sint ad intellegendum et plana, [velut ‚sumere haurire‘, ‚iubeto decernito‘, ‚ponantur conlocentur‘ aliaque invenimus] saepe altero vocabulo notio generatim indicatur, notionis species et forma adumbratur, altero autem explicatur illa notio. Quo factum est, ut sermonis consuetudinis, quae erat iuris consultorum propria, conditio una fuerit perspicuitas. Itaque necesse fuit eos et uberius dicere et multa ex sermone plebeio assumere, cum ad commune iudicium popularemque intellegentiam accommodate dicendum esset. Multa vero, quae in sermone iuris consultorum posteriore tempore apparuerunt, ex antiquissimi temporis sermone plebis manasse certe iudicandum est, ut supra iam diximus.

Saepissime autem illa vocabula, quae cumulabantur, a iuris consultis dissolute dicebantur vel eo consilio, ne tumidius dicerent. Conditio igitur altera illorum loquendi moris brevitatis fuit: cum plura verba ex illa quam attali causa usurparent, quam necesse erat, sine mora et quam celerrime pronuntiare illa volebant.

Huc referendum est: ‚**usus fructus**‘.

Ex communi consensu verba atque nomina linguae forensis vel publicae propria, ubi composita erant, primis literis notabantur, cfr. M. Val. Prob. de not. signif. [Huschke p. 135 sq.]. Ita ‚usus fructus‘ per notas scriptum = U. F.

‚Usus fructus‘ autem est ius alienis rebus utendi fruendi salva rerum substantia. Cfr. Paul. Dig. 7, 1, 1. Comprehendunt igitur haec verba potestatem utendi aliqua re et fructus percipiendi ex ea.

Saepissime haec vocabula dissolute dicta inveniuntur apud iurisconsultos, velut ap. Ulp. frgm. sexies, ap. Just. inst. addecies, in Digest. nongenties septuagies; sed ‚fructus et

usus semel in Digest. scriptum legimus [38, 5, 21 extr.], ubi premuntur haec in verso ordine collocata verba.

Item, uti frui saepissime scriptum exstat, velut in Digest. semel et quadragies, permultisque aliis locis. Apud Ulp. inst. I, fr. 1, § sententia ab Huschkeo ita suppleta est, ut legamus: uti vel frui, sed cur, vel interposuerit ille, non intellego. Sed: utatur quis et fruatur? Digest. 7, 1, 12, 2, quamquam aliis locis ne propter interpositum quidem vocabulum asyndeton a iurisconsultis spernitur; cfr. infra, pactum conv. Cfr. etiam Digest. 7, 3, 1: fruatur et utitur, 32, 30, 1, 10, 3, 7, 10, 33, 2, 36, 36, 4, 5, 23, 41, 3, 35, 43, 16, 3, 14, uti atque frui iam ap. Cat. ap. Gell. 13, 24 (23), 1; his omnibus locis coniunctio addita est eo consilio, ut illa verba duo, quae multo usu detrita et obsoleta essent, plus gravitatis haberent vel certe id declararent, quod principio inerat in utroque. Coniunctio saepe his locis significat idem ut, non solum — sed etiam.

Ex aliis scriptoribus Seneca philos. hoc asynd. aspernatus est, cfr. epist. 14, 17: usus fructusque, similiter 73, 9, 98, 11, dial. 11, 10, 6, 6, 10, 2, 11, 10, 1; cfr. pag. 13.

Cicero autem illo as. usus est pro Caec. 82, 94: propter usum fructum; item top. 3, 15, 3, 17, 4, 21; sed tribus his locis allata sunt ab eo illa verba, uno illo [pro Caec.] loco ipsius Cic. verba scripta legimus. In epist. ad fam. 7, 30, 2 [: ,usu et fructu'] codicum consensu confirmatur particula, et, quae consulto adiuncta videtur, cum Cic. ,usu et fructu' respondere ex altera parte vellet illis vocab., quae antecedant: mancipio et nexo. Sed in or. pro Caec. 4, 11 rationem habere similis rei haud opus fuit. ,Us. et fr.' traditum habent c. Tegernseensis et pr. Erfurtensis, ,usum fructum' reliqui codices. Orellius nos revocat ad § 19 eiusdem orationis, sed cum h. l. ,usus' et ,fructus' intervallo distincta sint, non plus necessitatis persuadendi affert hic l. quam ille in ep. ad fam. 7, 30, 2. Tamen in or. pro Caec. 4, 11: ,usum et fructum — legat' existimo, et non delendum esse [quamquam ,usum fructum legare' proverbii locum obtinet], praesertim cum Cic. uno solo loco ipse sua sponte illo as. usus sit, in his autem verbis [pro Caec.] consulto copiosus fuerit atque ubertatem quandam petiverit [cfr. de decr. n. 2, 60, 152: fruimur atque utimur].

Postremo illud monendum est iam Plaut. Mere. 5, 1, 3 illis verbis usum esse: ,usus fructus, victus cultus — iureceptant'.

Similis est ratio formulae: **„usus auctoritas“**.

Quam scriptam legimus in leg. duod. tab. 6: **„usus auctoritas fundi biennium est“**; ap. Cic. top. 4, 23 eandem, sed pro Caec. 19, 54: **„lex usum et auct. f. iubet —“**. Utroque autem loco codicibus obtemperemus. Hoc enim l. accuratius exponit Cic. de sententia et argumento legis disserens, quid illa contineatur; interpretis igitur munere h. l. fungitur, quamobrem coniunctio sententiae loci accommodatissima est. Sed top. 4, 23 ipsis verbis legis quae scripta erant usus est; itaque ab hoc l. coniunctio recte abest.

Mirum denique est, quod hoc as. in Digest. nusquam invenitur.

Utrum vero haec verba **„sine tutore auctore“** asyndeton esse statuendum sit necne difficile est hanc quaestionem solvere. Nimirum dicta esse ea opineris pro **„sine t. et auct.“** vel **„sine t. sine a.“**, velut **„ab aris focus“** et **„de signis tabulis“** a Cicerone dicta sunt, cfr. supra p. 53. Sed ex Ulp. frgm. 20, 16: **„testam. fac. possunt, tutore auctore“**, et ex eod. fr. 29, 2. 1, 17 atque ex permultis aliis locis, quibus **„tutore auctore“** scriptum legimus [cfr. etiam Cic. pro Caec. 25, 73: **„nullo auctore“** pro **„sine tut. auctore“**, quae verba antecedunt in § 72], ac non minus ex eo, quod iurisconsultos saepe pro **„sine tutore auctore“** dixisse **„sine tutoris auctoritate“** apparet [in Digest. septuagies ter], colligere licet illa verba **„sine tutore auctore“** non ἀσυνδέτως posita esse, praesertim cum **„auctoritas“** res **„tutoris“** ipsius propria sit [cfr. Gell. 5, 19, 10] atque iidem tutores feminarum auctores singularum quae per illas fiebant rerum fuerint. Cfr. Apul. de mag. 101, 599. **„Tutore auctore“** enim [ablat. absolut.] significat: cum tutor (est) sit auctor, id est Germanice: wenn (da) der Vormund durch seine Zustimmung die Willensmeinung des Curaten rechtmäßig macht. **„Sine tutore auctore“** igitur dictum esse existimo similiter illis verbis Cic. pro Balbo 11, 27: de populis fundis, et illis, quae in Mos. et Rom. leg. collat. 6, 1, 1 scripta legimus: quicumque — cum muliere uxore; quo factum est, ut **„auctore“** pro adiectivo vel participio positum sit. [Cfr. **„sine praetore auctore“** Digest. 2, 15, 8, 2, ibidem 15 et 22: **„sine praetoris auctoritate“**].

Scripta autem haec formula **„sine tutore auctore“**, quam per se aliquid offensionis habere concedendum est, invenitur ap. Cic. pro Caec. 25, 72, top. 11, 46, ap. Liv. 34, 2; 11,

in leg. Salpens. R (Bruns), ap. Justin. inst. 2, 8, 2. Perraro igitur ea iurisconsulti usi sunt, in Digest. sine tutore auctore' quater inveni, ter a Paulo, semel ab Ulp. dictam.

Sed, ut opinor: cum in vulgus pervagata iurisconsultorum propria et legitima verba et omnino assuetum fuisse populum illorum loquendi more pro certo putandum sit, mirum est, quod plerique scriptores [non iurisprudentes] sine t. auctore' dicebant pro illa iurisconsultorum locutione: sine tutoris auctoritate', quae verba scripta legimus [cfr. supra] ap. Justin. inst. 1, 21. 3, 29 (30), 3, ap. Gaium inst. 1, 179. 2, 80. 81. 83. 84. 85. 121. 3, 44. 119, ap. Paull. sent. 4, 13, 3. Hoc non vacat offensione, cum populus Romanus iuris disciplinae enixe operam dederit.

Cum tutore auctore' tum sine tutoris auctoritate' per notas scripta esse perspicimus ex M. Valer. Prob. (p. 140): T. A. et S. T. A.

Tum huc referamus: **pactum conventum'**; cfr. M. Val. Prob. (p. 140): P. C.

Apud Justinianum et Gaium et in Digest. [in his septuagies] haec verba non inveni nisi dissolute dicta; cfr. insignia haec exempla: per — pacti exceptionem conventi Dig. 20, 6, 7, 2, pacti forte conventi 17, 1, 29, sed Sen. benef. 3, 15, 1: pacta conventaque [cfr. p. 13], item in Paulli sent. 1, 1 titulus 1 inscriptus est: de pactis et conventis', ubi ,et' probatur, quia titulus est, cfr. etiam Gell. 20, 1, 54: pactum atque condictum, Dracont. carm. 10 (Med.), 479: conv. pactumque, Sidon. Apoll. epist. 7, 7: pacta conditionesque. Neque vero iniudicatum relinquere volumus, quid ap. Cic. ad Att. 6, 3, 1: ,pacto et convento' [et' Orellius secluserit] et pro Caec. 18, 51: ,pacti et conventi formula' [et' delevit Lamb., omisit Orellius] tenendum sit. Duo autem alii loci Cic. [de orat. 2, 24, 100 et partit. 97, 130] nihil certi, cum discesseris a commate post ,pactum' hoc altero loco [consulto, ut videtur] ab editore omisso, praebent, quod sequi possimus, cum utroque loco plura verba ex ordine quodam collocata sint continuata eaque in dinumeratione posita. Quodcum illo as. si non optimi scriptores, at saepissime iurisconsulti uterentur, tamen illa duo ,et' [ad Att. et pro Caec.] non delenda puto, quippe quae cod. optimorum consensu confirmentur [cfr. etiam Boot. ad l. Cic. ad Att. 6, 3, 1].

Non est tamen dissimulanda iudicii quod prius de his

iurisconsultorum sermonis propriis formulis feci summa. Principio opinatus sum has legitimas formulas tam constantes et ratas ac firmas fuisse, ut omnes scriptores has eadem qua iurisconsulti forma dicerent neque iis quas hi dissolute dicerent formulis coniunctionem adderent. Atque haec opinio confirmata est eo ipso, quod populus Romanus iuris disciplinam eximie excoluerat. Sed sensim prorsus mutata est haec sententia, cum perspicerem illas locutiones, quas fere semper iurisconsulti dicerent per asyndeton, haud raro ab aliis scriptoribus coniunctione indutas esse, praecipue ubi ad iuris disciplinam non ita pertinebant, ut nihil aliud significare possent. Hoc autem quod apparet factum nec negari nec commutari potest, nisi forte quis illos quos ad usus fructus ex Sen. philos. et Ciceronis libris attuli locos alioque permittat per vim mutare vult. Sed huic auctoritas codicum optimorum impedimento est.

„Ope consilio“ [O. C. per compendium scripta ap. M. Val. Prob. p. 141].

Quae vocabula ἀοὐδῆτος posita invenimus in Digest. septies [cfr. etiam 47, 2, 36: „opem consilium“ et 11, 3, 11, 2: ope enim consilio], ap. Justin. inst. ter, ap. Gaium ter; illud „ove“ in „consiliove“ ap. Gaium 4, 37, quod editores scribunt, ortum videtur ex „ope“, quamobrem legendum est „ope consilio“, quae verba legitima erant; cfr. Paull. sent. 5, 29, 1, sed „ope tua consilioque“ in Digest. 47, 2, 52, 21, cfr. 47, 2, 50. 47, 2, 52 pr. 47, 2, 91, 1, Paull. sent. 5, 4, 20. 2, 31, 10; „ope ac consilio“ Liv. 8, 37, 8, „consilio et opera“ Digest. 27, 10, 7, cfr. Plant. Trin. 189 (Br.), Liv. 9, 10, 4. l. 27, 34.

„Vi hominibus armatis“.

Forensis linguae propria haec verba erant. Dissolute autem dicta esse eaque pro „vi et hom. arm.“ intellegi potest ex Cic. or. pro Tull. § 9: de vi coactis armatisque hom. Quae verba dicta sunt pro „de vi de coact. arm. que hom.“ vel „de vi et coact. arm. que hom.“ Ex eodem autem exemplo perspicimus illa verba celebrata esse proverbii loci. Nam nisi ita res se haberet, aut „de“ repetendum aut coniunctio adiungenda erat. Item ex § 42 eiusdem orat.: „agi de vi, — agi de hom. arm.“ efficitur illam locutionem pro-

verbialem et ἀσυνδέτων positam esse intellegendam. Vocabulum ‚vi‘ autem, cui ablat. ‚hom. arm.‘ in aequo penitur, in hac formula non referendum esse ad ‚coactis‘ intellegi potest ex § 11 eiusd. or.: vi per servos armatos.

Principalis igitur formula, quae iuris consultorum sermonis propria erat, videtur fuisse: ‚vi hom. arm.‘ sive ‚vi arm. hom.‘ Quae verba scripta legimus in § 31 eiusd. or. [bis], in § 7. 12. 39. 25. 27, ap. Cic. pro Caec. 8, 23 [alata]. 31, 89. 28, 80. 27, 75. 11, 82, cfr. Quintil. 4, 2, 132, Paull. sent. 5, 26, 3, Gaium 4, 155:

In Digest. autem illa nusquam inveni; sed cfr. 48, 6, 3, 6.

‚Vis‘ saepe componitur cum aliis vocabulis, quae eandem notionem accuratius explicant et inlustrant, cfr. Plant. Rud. 839: vi, violentia, Varron. l. l. 5, 10 [p. 76 Sp.]: vi a c viol., cfr. Georges lex. ad ‚dolus‘ (Lactant.).

‚Pro praede litis vindiciarum‘

Apud Gaium 4, 94 scriptum legimus ‚litis vindiciarum‘ [citata verba], cfr. Cic. Verr. II, 1, 45, 115, sed in inst. 4, 16. 91. 94 Gaius ‚et‘ adiunxit. Sed cum 4, 91 verba illa non ipsius Gaii, sed allata sint ab eo, ‚et‘ cum Huschkeo deletum malim. Cur autem idem ad Jul. Paull. sent. 5, 9, 2 (p. 503) ‚litis et vind.‘ restituerit, non perspicio, cum ‚et‘ plane non necessarium sit, aliis autem locis ipse fore semper principalem formam in eiusmodi formulis, quae est ασυνδeton, retineat. Item in frgm. iur. Rom. Vat. § 336 (p. 772) bis: ‚litis et vind.‘ legimus; uno loco ab H. particula ‚et‘ illata videtur, altero autem comprobata est codicibus. Quamobrem non opus est hunc quidem locum mutare, sed illud priore loco illatum ‚et‘ eiciendum est, cum ασυνδeton illud, quamquam in Digest. non invenitur, usitatissimum fuisse cognoscamus ex M. Val. Probo, apud quem illa verba quattuor literis notata = P. P. L. V. invenimus.

‚Stuprum adulterium‘ [legis Jul. de adult. verba] scripta legimus in Digest. 48, 5, 13 (12), ceteris octo locis coniunctio non abest.

Propria denique iurisconsultorum sunt: ‚ratis navis‘ [in Digest. quater, semel ‚et‘]; ‚manus domum‘ [in Digest. ter, cfr. autem etiam 38, 1, 47. 38, 2, 37. 50, 16,

53, Ter. Eun. 1057: donum praemium = jeden Lohn und Preis]; ,iure lege⁶ [in leg. Rubr. de Gall. cisalp. (Brunn), cfr. ,eo iure ea lege⁶ in lege Corn. de vig. quaest., sed ,iure et legibus⁶ Aulul. s. Querol. p. 55, 10, cfr. Digest. 1, 3, 33].

Illa autem nomina, quae propinquitatis vincula significant, dissolute dici in iuriscons. sermone intellegimus ex Dom. Ulp. (?) de grad. cogn. p. 587 Husehke, ex Mos. et Rom. leg. coll. 16, 3, 8, ex leg. colon. Jul. Genetiv. a. 710 (Hübner p. 109 extr.), ex multis Digest. locis; sed in eiusmodi exemplis modo omittitur modo adiungitur coniunctio nulla probabili causa.

Atque in mentionem eorum substantivorum incidimus, quorum singulorum crebro alterum alteri adiungebatur sine coniunctione, potissimum a Liv. aliisque rerum scriptoribus. Quamquam proverbii locum obtinent perpaucæ harum locutionum.

,Arma tela⁶ [= volle Wehr].

,Arma⁶ dupliciter dicitur, ut vel per se arma vel [definitius] arma ad tegendum apta, quibus aliquem vulneramus nos ipsos tutantes, appellentur. ,Tela⁶ autem saepe ita componitur cum ,arma⁶, ut tamquam pro una notione illa posita sint.

Dissolute haec verba dicta invenimus ap. Liv. 10, 4, 2 et 36, 18, 1 et in Digest. 48, 6, 1: arma tela, altero ordine collocata ap. Liv. 29, 4, 2, sed 22, 57, 10: ,arma tela alia⁶, quem locum duplici modo interpretari licet: aut ,arma⁶ et ,tela⁶ separanda non sunt, cum una notione contineantur, ita ut asyndeton bimembre exstet: ,arma tela⁶ — unum membrum — ,alia⁶ — alterum m. —, aut Livius cogitavit h. l. singula arma, velut gladios, hastas, scuta, quae enumerare poterat, ita ut ,arma tela⁶ enumerationis, quam ,alia⁶ absolvit, vice fungi statuendum sit. Similiter Sall. Jug. 66, 1: arma tela aliaque.

Saepe autem illa verba dissolute dicuntur, ubi plura paria sequuntur; cfr. Sall. Jug. 51, 1. 76, 1. 43, 3, Pacat. 36, Digest. 48, 4, 4; eo, quod tres articuli compositi sunt, adiuvatur asyndeton, cfr. Sall. Jug. 101, 11, Liv. 10, 28, 17. 30, 11, 4. 39, 5, 15, Caes. b. civ. 3, 44.

Sed multis locis [quindecim congressi] addita est coniunctio, velut in antiqua devotionis formula ap. Furium (Huschke p. 12): arma telaque.

Sed ut ad Liv. redeam: cur Madvigius, quamquam 10, 4, 2 et 29, 4, 2 asyndeton ferendum esse existimavit aut certe non aspernatus est, in l. 36, 18, 1, 'arma et tela', quae verba cod. tres Drakenb. praebent, lectioni cod. optimorum, 'arma tela' antetulerit, explorare non possum. Neque enim ulla iusta causa est, cur 10, 4, 2 asyndeton aptius sit quam 36, 18, 1. Idem Madv. autem in 21, 28, 2 [militum nautarum'; alio loco, naut.' et mil.' ἀσυνδέτως posita non inveni, cfr. Cic. Verr. 5, 17, § 43, Liv. 37, 11, 9. 41, 3, 3. 37, 29, 1. 3] nulla cod. auctoritate adiutus intulit, 'que' dicens: in plerisque eorum exemplorum, quae Weissenb. congerit huius modi asyndeti, nulla omnino eius causa excogitari potest nec hic ulla est orationis concitatae vis'. Sed mea quidem sententia his et similibus locis [exceptis iis, quibus enumerativum as. statuendum est] dissolutione efficitur, ut una quaeque notio eo, quod cogitationi et menti eius, qui audit vel legit, tamquam aperta et nuda proponitur, cum vi et nervose dicatur praediceturque.

Ac postquam plerosque vel omnes locos, quibus Madvigius, 'que' vel aliam con. inseruit, ad codicum optimorum fidem recognovi, illum cum opinione praeiudicata ductum quam plurima posset asyndeta apud Livium quidem sprevisse ac vix respexisse, num de proverbialibus formulis ageretur, perspexi, tum parum illum sibi constitisse in asyndeto tollendo vidi. Itaque certe obiurgandus est, quod permulta asyndeta, 'prava simulavit' [cfr. Madvigii indicem].

Sed tamen mihi liceat ex Livio complures locos h. l. apponere et recensere, quibus Madv. lectionem cod. optimorum mutans copulam addidit.

[Haec autem quae proxime sequuntur appendicis loco includo in hanc scriptiunculam].

In Liv. 22, 29, 11: 'modo arma dexterae' [Waffen und Häufte], quo loco Madv. [cum cod. rec.]: 'que' in adnot. crit., 'ac' in textu ipso legit, asyndeton non spernimus, quamquam 'dexterae' facile ex illo quod sequitur vocabulo, 'texerunt' ortum esse potest. Ipsa enim dissolutione h. l. incitatio et celeritas, qua illi defensi erant, sub aspectum subicitur et inlustratur. Atque illud 'modo' propter dissolutum propius sub oculos cadit.

Simile exemplum huic est: 35, 35, 16: 'parate ani-

mos dextras' [in oratione] = bereitet auch mit *Met. n. Senf.* ,Que', quod in cod. non scriptum exstat, Madv. intulit. Sed haud scio an asynd. hoc l. aptius etiam sit quam illo. Apparet enim voces monentis eo pertinere, ut efficiatur, ut ii qui audiant quam celerrime id facturi sint, quod ipsam facientem viderint. Atque ad hanc velocitatem eiusque eventum inustrandum asyndeton est accommodatissimum. Utrumque autem exemplum in oratione scriptum legimus; scriptores vero, ubicunque oratio incitatius fertur, dissoluate dicere posse constat.

Eiusdem generis est 28, 14, 7: ,curati pransi'. Madv.: ,que', quam coni. ap. Weissenb. non scriptam legimus. Sed cum asyndeto efficiatur h. l., ut magis perspicite fingatur cogitatione imago ,ante lucem curandi' et tamquam repraesentetur, reiciendum est ,que'.

Deinde 29, 19, 12 asyndeton ,segniter molliter' [Madv.: que], quod adiuvatur eo, quod adiunctum est ,aeque', optime congruit cum praecisis enunciationibus, quibus continetur. Quae enim senatoribus placuerunt de Scipione, paucis verbis comprehenduntur, quaeque de eo in utramque partem disputata erant, unum in locum coguntur et reminiscendi causa unum sub aspectum subiciuntur, ad quod consilium asyndeton est accommodatissimum. [Cfr. Cic. ad Att. 8, 6, 3: ,fortiter diligenter', quo loco complures cod. ,et' exhibent, quod tollendum est].

In 21, 46, 4: ,tot hom. equorum que' praesent Parisini altera man. et plerique rel. cod.; asyndeton autem exhibet Parisin. I, cfr. Hofm. ad Cic. epist. p. 30 [asyndeton defendit], Woelff. et Weissenb.: ,et' [in altera ed. [text.] Weissenb. ,et' omisit], Madv. ,que'. Sed ad vim et gravitatem orationis aptissimum est hoc as. [ut 21, 28, 2 et alia]. Atque utraque notio vehementior et efficacior fit coniunctione omissa. Minus enim auctoritatis saepe, si coniunctio addita est, utrumque verbum videtur habere quam si dempta est. Nam is, qui audit vel legit, in ea verba, quae dissoluate dicta quasi ante oculos proponuntur, animum magis intendere cogitur. ,Que' autem, quam coniunctionem omnium cod. consensu confirmatam in iisdem verbis 31, 33, 8 [hom. equorum que] Herzii, Madvigii, Weissenbornii editiones exhibent, h. l. sane necessaria est. Nam ex equorum fremitu vel potius ex fremitu non solum hominum, sed etiam equorum colligendum erat speculatum missis equitibus, appropinquare

et pedites et equites hostium; item 24, 17, 7: equis hom. quae, cfr. 35, 11, 7.

Sed 22, 13, 1: ,indignitatibus ac cladibus' [quae verba Madv. et Weissenb. legunt, ,que': Drakenb., ,et': cod. rec., sed cod. plerique neque ,ac' neque ,que' exhibent] et ,ac' et ,que' tollenda sunt propter illam quam supra attuli causam.

,Que' autem ut 28, 13, 5 [ped. equitum que] legatur, sententiae ratio postulat, quod omnium copiarum [compositarum ex civibus et sociis] numerum, si pedites equitesque computaveris, expleturum esse 45000 dicere Livius voluit. Sed 40, 44, 3 [ped. equitum, civium sociorum] sententia est: decretae sunt copiae pari numero peditum et equitum, compositae ex civibus et sociis. Illo loco [28, 13, 5] verba apposita ,civium sociorum' minoris momenti sunt quam ,ped. equitumque 45000', quae maxime rem continent. Sed 40, 44, 3 duo membrorum paria inter se in aequo ponuntur: ,civ. soc.' genetivo ,ped. equit.' par ponitur; h. l. verba ,eadem provincia' et ,pari numero' premuntur, illo ,omni exercitu' et ,ped. equ. que 45000'. Cfr. autem h. l. Liv. 25, 6, 20: ped. equitum, et 27, 13, 9; sed saepissime coniunctiones adiungebantur [a Livio plus viginti sex locis].

Item 22, 39, 11: ,omnia circa plena civium ac sociorum sunt' necessarium esse ,ac' nemo non videt. Nam ,omnia — plena' verba quasi expinguntur et exornantur, ad quod idem consilium pertinet coni. addita ,ac'. Idem spectat Liv. illis quae sequuntur verbis: ,armis viris equis commeatibus'. Ubertas igitur quaedam est petita.

Sed 22, 61, 3 scriptum exhibet Put. ,fletibus questibus'; Weissenb., Madv. aliique legunt ,que', quod in uno ex melior. cod. manu secunda additum est. Sed graviter et cum vi illa verba dicta sunt ac nequaquam haec vis aliena est a sententia. Cfr. autem similia exempla, velut ap. Cic. ad Att. 5, 16, 2: ,gemitus ploratus', ap. Sen. epist. 102, 26: ,gemis ploras', cfr. Garrucci inscr. p. 361: 1326 (= 1008. M.): ,luctu questu', tam inc. a. ep. ad Caes. s. de rep. 2, 4, 2: ,non luctus gemitus' [durum asyndeton], Cic. pro Lig. 5, 13, de domo s. 23, 59, pro M. Cael. 2, 4, Plant. Aulul. 2, 4, 39. Haec et similia notionum cognitione coniuncta verba saepe componuntur non copulata, ubi una eaque latius patente notione comprehenduntur.

Tam in Livii l. 45, 1, 3 [,clamor plausus'], quamquam Sil. It. 16, 574: ,cl. plaususque' dixit, tamen ,que',

quod Madv. et Weissenb. inseruerunt, delemus, cum asyndeton nequaquam abhorreat ab illis fervidioribus verbis, quibus continetur.

Liv. 7, 36, 7: ,singulos universos servatores s. vocant'; Mediceus ;que' omisit; Par., Harl. I rec. que' ,que' traditum habent, itaque Madv.: ,que', Weissenb. autem non item. Quemadmodum 45, 10, 7: ,quae sing. universi que eo bello — dixerant fecerantque' coniunctio, que' nequaquam potest omitti, quod Popillius omnia, quae dicta factaque erant, augere studet, et quia eo, quod coniunctio additur, illud ,omnia' amplificatur et exaggeratur, ita ab huius loci (7, 36, 7) sententia alienam esse coniunctionem vel ex brevibus enunciatis intellegi potest, quae coniunctionibus demptis unum post alterum sequuntur [laudent gratulantur — vocant agunt — ferunt]. Asyndeto igitur ad enunciationes has, quae concitate dictae sunt, adhibito optime congruit illud in vocabulis asyndeton, quamquam ap. Liv. 6, 20, 9. 35, 84, 7. l. 30, 21. 6, 24, 8. 4, 2, 3. l. 27, 13, ap. Sen. de clem. 2, 5, 3 illa vocabula copulata invenimus.

In Liv. 45, 8, 5 scriptum legimus: ,multorum regum populorum casibus cognita populi R. clementia'. Consulto particula est omissa. Paullus enim simulare voluit se praeter reges populosque etiam plures, quorum casibus populi R. clementia cognita esset, afferre potuisse, ut illam illustraret et laudibus efferret. Enumeratio igitur incohata consulto abruptitur ac non ad finem adducitur. [Cfr. Naegelsb. § 200, 1 et Cic. or. part. 15, 53]. ,Et' autem, quod in altera Weissenb. editione scriptum legimus, ne ideo quidem probabile est, quia ap. Liv. aliis locis [quattuor] ,reges populi que' invenimus. Quae verba coniunctione ,que' addita formulam videntur efficere proverbialem; ,gentes' autem ut Livius, nisi ita res se haberet vel si ,et' dixisset, pro ,populi' usurpaturus fuerit propterea, quod notionem bene moratae beneque constitutae civitatis subiciebat aliis locis vocabulo ,populi' vix optandum nobis videtur.

Quamvis durum sit asyndeton in Liv. 28, 25, 5: ,in principiis praetorio' [Madv. ,que', quod cod. rec. praebent], cum optemus, ut aut repetita sit praepositio ,in' aut addita coniunctio ,que', et quamvis ap. eund. 7, 12, 14: ,in priuc. ac praetorio' invenerimus, tamen e codicum fide asyndeton restituamus. Quod h. l. in hac re vertitur, quod partes unius atque totius rei nominatae sunt, quae non coniungendae sunt. [Cfr. Cic. Verr. 2, 4, 35, 77: ,ture odoribus',

[tare atque od. Pompon. Mel. chor. 1, 10, 61], off. 2, 19, 67]. Enumeratio autem consulto non ad finem adducta est. Nam plura etiam loca pluresque castrorum partes Liv. enumerare poterat, ut ostenderet, quomodo tribuni tentoria circumcumbentes operae non pepercissent, ut militum animos placarent.

Idem Madv. in Liv. 33, 38, 12: ,et tecta, muros rest. ,que iatulit. Minime mirum id quidem. Sed dissolute dicuntur illa verba, ut significetur alias res similes, quae non afferantur, silentio addere licitum esse. Ex eadem autem causa nata sunt haec as.: 24, 1, 3: ,muros portas' [Madv. et Weissenb. ,ac', cfr. 44, 13, 3: p. ac moenia, 24, 44, 8: m. ac portae, 25, 25, 1: p. murosque]; mauri et portae memorantur nominatim, quod rerum omnium ad hoc spectantium gravissimae sunt; in 24, 1, 5 [: ,agros urbem', Madv.: ,que'] particula facile caremus, cum cogitatio et mens, si coniunctio non addita est, latius vagari possint, ut depingant id, de quo agitur. Sed 7, 31, 7: ,agrum urbem que', quia h. l. nullam rem cogitamus nisi eas, quae nominatae sunt. Etiam 26, 33, 13: ,agr. urbemque' coniunctio necessaria est. Nam Luc. Atilius plebem h. l. rogans in enumeratione earum rerum, quas Campani et alii, quos nominat, dediderunt, consulto nullam intactam reliquit, sed omnes accurate exponere voluit. In talibus interrogationibus nominatim factis solet inesse et copia et accuratio quaedam dicendi, ut omnia aperta sint ad intellegendum. Sed enumerativum quasi as. est in Liv. 45, 39, 6: nob. opul. rex; Madvigii ,que' improbamus; similiter in 45, 36, 4 codicum consensu confirmatum as.: ,horr. asperiozem' probamus.

Illo autem modo a Madvigio elocutionis Livii proprietatem mutatam atque etiam nonnunquam deletam esse facile cognoscimus.

Ac transeamus ad ,**equi viri**', quod asyndeton illi ,arma tela' par similitudine est [cfr. supra ,equis viris']; scriptum legimus hoc as. ap. Sall. Jug. 51, 1, ap. Tac. ann. 12, 37. 13, 57; sed tria haec exempla minus gravia sunt, quod illis duobus complura paria dissolte dicta sunt, hoc uno (13, 57) vocabulum ,cuncta' praecedentia verba comprehendit; cfr. etiam Pomp. Mel. chor. 2, 6, 86. Aliis autem locis [velut ap. Liv. duodecim] coniunctio non deest. Mirum vero est, quod Liv., quippe qui dissoluto tantopere

faverit, ,equi viri' asyndeton aspernatus est. Quod intellegi potest ex 23, 5, 6: leg. equitatus, arma signa, equi virique, pecunia comm. — perierunt. Nam vix vere conicias iudicans eloquendi varietatis causa h. l. ,que' adiunctum esse. Sed ut praetermittam, quod ille tamquam sollemni formula videtur usus esse illis verbis ,equi virique', recte ,que' se haberet illo loco, si illa quae antecedunt membra orbem suum confidentia continerentur ab ,equi virique' et ad exitum quendam adducerentur per haec verba. Hoc autem fieri non potest, cum antecedant verba ,arma signa'; ,legiones equitatus' posset absolvi ab ,equi virique'. Itaque ,equi virique' ap. Liv. quidem proverbii speciem habet; neque enim ullo loco ,que' omissum est [ne in proverbiali quidem form.: ,equis viris' conjunctionem Liv. omisit], quod nego fortuito factum esse.

,Arma equi' invenimus ap. Tac. hist. 5, 15, ap. Curt. 4, 14, 12 (53), cfr. Liv. 9, 6, 6, Nep. Hamilc. 4, 1, Sidon. Apoll. epist. 1, 3 Baret, sed coniunctio addita est a Liv. sexies, cfr. Tac. hist. 4, 12, ann. 11, 16.

Huius generis dissolutis hoc quoque adnumerandum est: **,coniuges liberi'**. Quod invenimus ap. Liv. 38, 48, 5 [cfr. 26, 13, 13. 4, 28, 5: plura paria], ap. Caes. bell. Gall. 7, 14, 10, ap. Cic. pro Mil. 32, 87, ap. Sen. contr. 9, 5, (28), 6, cfr. Cic. phil. 12, 1, 1: uxor, liberi. 12, 2, 5, pro Flacco 1, 1, Quintil. 12, 10, 40, Sidon. Apoll. carm. 1, 55; etiam ap. Liv. 34, 35, 7 asyndeton est restituendum. Quo loco Weissenb. dixit: asyndeton ,liberos coni.' non probabilem causam habere ac veritus est, ne ,bona' vel ,et' interciderit. Sed enumerativum as. h. l. non minus quam 45, 1, 10 [Adv. ,que'] statuendum est; itaque Madvigii ,et' altero loco, ,que' altero, et Weissenbornii ,que' eicienda sunt. Item Cic. pro Mil. 32, 87 consulto ,que' omisit simulans se propinquos plures commemorare potuisse, quos Clodius vexasset; simili causa ductus Cic. pro Mil. 36, 100 dixit: ,bona, fortunas', etsi in phil. 4, 4, 9: b. et fort., ibidemque 5, 12, 32: ,b. fort. que' invenimus.

,Ac' autem vel ,et' vel ,que' [non ,atque'] Livius illis duobus vocabulis [coniuges liberi] quadragies fere adinavit, saepissime: ,ac' [vicies quinquies], rarissime: ,et' [ter].

Simile asyndeton, quod huc refertur, est: [quidquid Rh.] **virorum feminarum** ap. Liv. 45, 24, 11, cfr. 34, 5, 12; epist. ad Caes. s. de rep. 2, 4, 2, Cic. Cluent. 54, 148, Plin. n. h. 37, 13, 201, Mamert. pan. Genethl. Maxim. 11, eund. in grat. act. Jul. 6, Sen. dial. 5, 2, 3; sed **virorum feminarumque** ap. Plin. epist. 3, 16, 1, ap. Liv. 27, 51. 27, 45 aliisque locis, cfr. Cels. med. p. 259, 35.

Ut autem colligam et commoneam, quibus de rebus verba fecerimus his proximis paginis, breviter: in eius generis verbis, si codicum fidem sequi licet, Livius quidem copulam modo omisit modo adiunxit. Bimembra autem dissoluta apud eum, potissimum in orationibus, tam crebra sunt, ut eorum ratio, si discesseris a celeritate, quae saepius est petita ob quamque paucae locutiones in proverbii consuetudinem venerunt, aut ad nullam rem referri possit nisi ad gravitatem et vehementiam orationis aut ad id consilium, ut res similes, quae non afferuntur, silentio addere licitum esse significetur. [Huc referenda sunt Quintil. [9, 3, 50] verba: ,nam et singula inculcantur et quasi plura fiunt'].

Sed substantivorum copiam exsecuti ad verba transeamus.

c) de
verbo-
rum dis-
soluto.

,Ferre agere [= hostili more populari aut vexare].

Num hoc asyndeto, quod Waltherus ad Tac. hist. 1, 2 pernegatum esse opinatur, ullus scriptor omnino usus sit Wichertus dubitat. Sed uno quidem loco illud scriptum inveni: ap. Liv. 3, 37, 7, septem autem ceteris locis idem coniunctionem ,que' vel ,atque' addidit, cfr. Curt. 4, 13, 48 (19): ,ferri agique', qui in eodem libro dixit: ,volvi agique', Liv. ipse [22, 1, 2] pro ,ferre ag. que' dixit: ,raperent agerentque', cfr. Tac. ann. 1, 70.

Cum ,ferre agere' autem compara: Cic. de rep. 3, 33, 45: ,agunt rapiunt, —', inc. a. ep. ad Caes. s. de rep. 2, 3, 4: trahunt rapiunt, Tac. hist. 2, 56: spoliare rapere, cfr. Sall. Cat. 20, 12, epistul. Mithrid. 17 (Jordan).

Verbis ,ferre agereque' principio sententia amovendi animalia [agere] et inanima [ferre] subiecta est. Posteriore autem tempore angustius illa valebant ac dicebantur in hostibus, qui praedabantur; atque gravia verba erant. [Non in hostilibus dicuntur ap. Liv. 10, 34, 4. 38, 18, 15. 39, 54, 8, ap. Tac. dial. 8].

Graeci, qui iidem haec verba ad animum transferebant [cfr. Luc. dial. deor. 6, 3], dicebant: ἄγειν καὶ φέρειν, rarius autem eadem altero ordine pronuntiabant: φέρειν καὶ ἄγειν; sed apud Romanos vigebat: ,ferre agereque', quamquam haec verba a Graecorum sermone repetita videntur. Diversa autem illi collocatione horum quibus idem significatur verborum utebantur propterea, quod apud Graecos non solum antiquiore, sed etiam posteriore tempore divitiae maxime pecoribus iumentisque et servis continebantur [iis rebus, quae agi poterant], apud Romanos maioris ponderis erant aurum et argentum et eximia vasa aliaque ornamenta [quae ferri sive gestari poterant]. Quamquam suas illud causas habuit: temporis condicio commutata illud exigebat.

Hac autem in re Romanos quidem naturalem quandam ordinem servasse intellegimus ex Quintil. 9, 4, 23: ,est et naturalis ordo — (*).

,Velitis iubeatis' [in directa orat.; in obliqua: vellent iuberent].

Usitatum erat hoc as. in rogatione ad populum ferenda, cum quis populum rogabat, num legem acciperet et comprobaret, num perferri quippiam vellet; proprie: ,vel. iub., Quirites, rogo'. Legitima haec verba in rogationis praefatione fuisse testatur Gell. 5, 19, 9, ubi formulam arrogationis omnibus verbis expressam profert.

,Velitis iub.' scriptum legimus ap. Liv. 38, 54, 3, ap. Cic. in Calp. Pis. 29, 72, ap. eund. de domo s. 17, 44 (citata v.). 18, 47.

,Velitis iubeatisne' ap. Liv. 22, 10, 2 [cfr. Heerwagen. ad h. l.], ap. Cic. de domo s. 30, 80 [ibidem ,velle et iubere' extra formulam posita], ,velint iubeantne' ap. Liv. 38, 46, 13.

,Vellent iuberent' ap. Liv. 31, 6, 1. 21, 17, 4, ,vellent iuberentne' ap. Liv. quinques. Ex eo, quod ,ne' adiunctum idque post alterum verbum [iubere] positum est, intellegitur unam notionem illa verba conficere et pro-

*) Quod ad naturalem verborum ordinem attinet, cfr. Taciti loquendi morem, qui dicebat: „falsa ac vera“ [hist. 1, 70. 2, 90, ann. 1, 6: ficta seu vera]; alii autem scriptores Romani [ut nos Germani solemus] dicebant: „vera et falsa“ [cfr. Cic. Brut. 41]. Sed causa, cur Tacitus commutaverit naturalem ordinem, petenda est ex ipsius voluntate omnia in peiorem partem accipiendi.

verbi locum obtinere. Ad illos autem locos, quibus ,ne' in membro priore omittitur, cum hoc confirmatur maiore fide quam alterum. [velut Liv. 9, 32, 3: mat. traherentne, l. 27, 47: semel bisne] hoc exemplum [velint iubeantne] referri non posse manifestum est.

Sed sublatam esse asyndeti figuram invenimus, ubi illa verba duo extra illas formulas posita sunt: id vol. iubemusque' ap. Liv. 26, 33, 14 [in textu plebisciti ipsius], cfr. Ovid. m. 11, 493, Juven. 6, 223.

,Oro obsecro'.

Eandem notionem, quae in orando inest, ,obsecro' augendo et confirmando repetit. Asyndeton hoc invenitur iam ap. Plaut. Rud. 882 et Amph. 923 et Cas. 2, 5, 13, compara: Plaut. Pers. 1, 1, 50: ,obsecro, reseco' [sed ,obs. res. que' Aulul. 4, 7, 2 et 3], deinde: Cist. 2, 3, 25, Asin. 246, Plin. epist. 6, 8, 9: rogo, oro, pan. 12. Apud Cic. quoque ad Att. 11, 2, 3 et ad fam. 8, 16, 1 [per liberos oro obsecro] scriptum legimus illud as.; sed in altero exemplo huius eiusd. epist. ad Att. 10, 9 A, 1: ,per liberos te oro et obs.' invenimus. Quodsi illo loco (ad fam.) ante ,oro' scriptum exstaret ,te', [quod facillime librarius praeteriisse negligentia potest], recte coniceret quispiam ex illo ,te' hoc loco [ad Att.] ,et' [inter ,oro' et ,obsecro' positum] ortum esse. Sed cum non ita res se habeat, tamen ,et' [ad Att. l.] tollendum mihi videtur, cum idem Cic. in epist. ad Att. 11, 2, 3: ,oro, obsecro' dixerit, nullo autem loco neque ap. Cic. neque apud ceteros scr. [nisi ap. Fronton. ep. p. 133 Nab.: oro te et obs.] ,oro et obs.' invenerim. ,Oro atque obsecro' saepissime invenitur, rarius ,oro obs. que'. Cfr. denique Liv. 8, 9, 6: ,vos precor, veneror, veniam peto feroque', quae verba proverbiali figura et fortasse principio dissolute dicta sunt; cfr. Furium iurecons. [Huschke p. 11] et Tac. hist. 4, 58: precor venerorque.

,Monere suadere'.

Nonnunquam haec verba et similia dissolute dicuntur, sed nimirum interest magni, utrum concitate dicta sint necne. Neque enim additur coniunctio fere iis locis, quibus oratio

incitatus fertur. Cfr. Liv. 2, 54, 4: *suadent moment*, Cic. ad Att. 4, 5, 2, ad Qu. fr. 1, 2, 1, 3 [trim.], Liv. 4, 48, 11, Quintil. 11, 3, 64; num autem in Tac. ann. 2, 67: *,mon. suad. et — custodia' illa verba ,mon. suad.' pro una notione posita sint ita, ut asyndeton intellegendum sit, equidem addubito.*

,Suadere et monere' ap. Liv. 24, 8, 13, 3, 12, 6, cfr. Cic. ad Att. 6, 2, 7.

Similitudinem aliquam cum his habent: *,circumire hortari' [ap. Sall. et Tac. et Sidon. Apoll.], ,adire hortari' [ap. Tac., cfr. Caes. b. Gall. 7, 86, 3, 4, 21, 8], ,monere adhortari' [ap. Liv.], ,monere praedicerere' [ap. Liv.], ,monere orare' [ap. Caes.], ,hortari orare' [ap. Liv., cfr. Sall. Jug. 51, 4, Cat. 27, 2].*

,Fundere fugare' [raro inverso ordine posita, cfr. Sall. Jug. 21, 2: f. fund. que, et Vell. Pat. [2, 46: fug. ac fund.], qui illius vestigiis insistit].

Quater Liv. hoc asyndeto usus est. In 33, 25, 9 [': *,fusum fugatum'*] hoc vocabulorum as. congruit cum enunciationum dissoluto: — *victum, — fusum, multos — cecidisse, Tud. — expirasse' atque eius causa repetenda est non solum ex cursu incitatore illius orationis, qua animi motus inflammantur, sed etiam ex brevitate dicendi. Quattuor enim praecisus enunciationibus continentur literae illae. Particula ,que' igitur a Madv. illata, quae non comprobetur a cod., est eicienda. Deinde ap. eund. 23, 11, 10 [': *,mag. — fusum fugatum'*] ,que' exhibent rec. cod. pauci et edit. pleraeque, eandem particulam Madv. intulit. Sed asyndeton accommodatissimum est ad brevem enunciationem, qua res ab Hannibale gestae a Magone paucis exponuntur. Similiter Liv. 38, 53, 2: *fudit fugavit.* Verba, quibus hoc as. continetur, stomachi plena et concitate dicta itaque efficacia sunt, quamobrem illud aptum est consentaneumque orationis perpetuitati ac suspicione caret, etsi cod. Bamb. auctoritate non confirmatur. Madvigii ,que' igitur, quod cod. rec. exhibent, hoc non minus quam illo l. tollendum est, quamquam tribus aliis locis Liv. participia tantum dissolutive dicta invenimus, quod asyndeton (*fus. fugat.*) dicendi generis annalium scriptorum proprium videtur fuisse. Sed 40, 48, 6 Madv. ipse: *,fusi fugati' retinuit.* Hoc autem loco haud scio an ille ,que' non intulerit ideo, quod existimavit, etsi ,fusi' et ,fugati' non copulata essent composita, tamen haud*

sane necesse esse ita haec verba interpretari, ut *asyndeton bimembre* esse statueretur, cum *fusi fugati*, mox *compulsi* haec tria participia sequenda essent illi, *exuuntur*, quod sequitur. Sed non ita res se habet. Trium enim momentorum facilis est distinctio: *exemplo — mox — postremo*. Atque ad primum solum momentum pertinent: *fusi fugati*. Necesse est igitur h. l. statuere verba *fusi fugati* unam efficientia notionem per *asyndeton bim.* esse dicta.

Eiusdem *asyndeti* exempla afferri possunt ex Front. ad M. Caes. 1, 4 (p. 10 Nab.): *funduntur fugantur* [cfr. eund. ad Ver. imp. p. 123 N.: *fudit fugavitque*] et ex Plin. n. h. 7, 26 (27), 97 [in epigr. inscr.]: *fusis fugatis —*, cfr. Flor. 1, 38 (3, 3), 4: *fugati, exuti castris*.

Livius autem illis solis quattuor locis dissolute dixit illa verba, sed quadragies fere coniunctionem, *que* [rarissime (quater): *ac*] addidit, uno loco, *et* [sed trimembre]; nequam autem omnino nisi uno loco, *atque* invenimus eoque (trimembre): *caedere fund. atque fugare* ap. Sall. [Jug. 58], qui vetustiorum [Catonis] vestigia persecutus est.

Trimembre: *fus. fugatus castris exutus* Liv. 8, 33, 19, *fudi fugavi expuli* 28, 28, 9, sed 2, 31, 1: *fundit fugatque, exuit castris*. Hoc l. duobus membris vel potius unj membrorum [per, *que* copulatorum] pari articulus unus [exuit] sine coni. adiunctus est, ex qua re colligi potest illa vocabula *fund. fugatque* nequaquam separanda esse, sed quasi unam notionem conficere. Sed in hoc bimembri as. plus gravitatis inest quam si Liv. dixisset: *fund. fugat exuit castris* [cfr. 8, 33, 19]. Quae verba si dixisset per as. trimembre, illa tria verba inter se tantum non paria fierent, *exuit* autem paululo efficacius esset quam *fugat* et hoc gravius quam *fundit*. Sed cum dixerit: *f. fugatque, ex. c.*, haec verba *exuit cast.* cum vi et graviter dicta eminent et exstant auctoritatisque plus habent; atque illud voluit Liv. Ex hoc igitur loco nullo negotio intellegitur aliquantum interesse inter bimembre et trimembre *asyndeton*: ubi duo tantum vocabula dissolute dicuntur, quasi necessario inter se opponuntur et in contraria videntur abire, ubi autem tripartita oratio est, illae quae priore loco nominatae et quasi *oppositae* sunt res eo, quod tertium vocabulum additur, invicem exaequantur et compensantur ita; ut nulla sit *oppositio* ac non iam suspensi habeantur animi eorum, qui au-

diunt, sed sedentur; cfr. Naegelsb. lib. de praec. lat. scrib. § 172, Kuehner. l. gr. ed. mai. II, 2, p. 749: in dem 3- u. mehrgliedrigen Aeynd. liegt ein natürl. u. befruchtigender Schluß.

Cfr. postremo Enn. ap. Non. p. 472, 31: „pugnant proeliant“; quae verba dissolute dicta proverbii locum obtinere colligimus ex Lucret. de r. n. 2, 148. 4; 1009: proelia pugnas. „His similia alia veteres frequentasse satis constat“ cfr. Lachmann. ad Lucret. p. 80.

„Vivere valere“.

His verbis saepe compositis particula modo adiuncta modo dempta est. Ad augendum autem et cumulandum valens hoc as. alliteratione adiuuatur; quod scriptum legimus ap. Plant. Trin. 1075 (Fl.), Stich. 1, 1, 38, Bacch. 246, ap. Hor. epist. 1, 6, 67 [cfr. 1, 18, 19], cfr. „vivi, salvas sat“ ap. Sen. controu. 9, 5 (28), 14, „viget veget“ [pro „vegetat“] ap. M. Varr. sat. Manius VI, 22 p. 157 R., tum Sen. epist. 64, 3, Ter. Andr. 889. Sed coniunctio saepe adiungebatur, velut a Plant. bis, a Ter., Lucret., Hor.

„Vigilare laborare“.

Ut haec verba a Cic. pro Mur. 9, 19 dissolute sint dicta, non casu ac fortuito factum est, cum eadem verba ap. ennd. in Catil. 3, 7, 16 ἀκούστω; posita inveniamus. cfr. Sall. Cat. 54, 4: „lab. vigilare“. In proverbii igitur consuetudinem venisse videntur. Item „festinare“ saepe cum eiusdem generis verbis componitur: cfr. Sall. Cat. 27, 2: „fest. vigilare“, ibid. 42, 2, Jug. 76, 4, Plant. Merc. 1, 2, 7, Varron. sat. Cynus p. 114 R: properans citus, frigitur iam Rom. Vat. 35 (6): properant atque festinant.

Praeterea haec quoque as. circumspectissimus: „potare amare“ ap. Plaut. Merc. 3, 2, 10, Poen. 3, 3, 48, cfr. Sall. Cat. 11, 6: am. potare, Jug. 85, 41; „bibere edere“ ap. Plaut. ter; sed „ed. libere“ dumque Scaevola (Huschke p. 19), cfr. Sen. dial. 12, 10; 10; Dracont. 8 (Hel.), 413 de D. Substantiva „cibus“ et „patis“ a Cic. et Liv. saepe per particulas coniecti,

,Tonare fulgurare'.

Cic. de divin. 2, 18, 42: ,Jove tonante fulgurante', de deor. n. 2, 25, 65 bis: ,fulgente tonante', quae duae formulae videntur in proverbis abiisse, cfr. Plin. epist. 1, 20, 19, Min. Fel. Oct. 32, 4, Arnob. 4, 21; in Sen. epist. 107, 3 ,fulmen' mutandum esse in ,fulminat' iam Haase significavit. Sed: ,tonat fulguratque' Sen. n. qu. 7, 4, 2, cfr. Quintil. 2, 16, 19, Justin. hist. 29, 3 imit.

Rarins inveniuntur asyndeta: ,haesitare dubitare' [ap. Plin. min. et Cic. semel], ,ambigere dubitare' [ap. Arnob. bis, cfr. 3, 4 R.], ,ignorare nescire' [ap. eundem ter, sed cfr. 2, 24 et 54. 3, 22 et 42. 4, 15. 6, 18], ,gaudere laetari' [ap. eund. 7, 36, sed cfr. h. Apoll. r. Tyr. Riese p. 8, 13. 27, 5 et 16 et Thielm. progr. Spir. 1881, p. 9], ,arare arere' [ap. Liv., sed ,que' et ,et' in Dig. bis, cfr. sen. cons. ap. Frontin. de ag. duct. c. 129.]

Jam ad iurisconsultorum sermonem transeamus verba exsequentes. Apud hos plurima exempla inveni supra significavi, sed h. l. breviter astringam illa, ne taedium affertam satietati eorum, qui legunt.

,Dare adsignare', quae verba in agris publicis inter colonos dividendis dicebantur, cfr. ,triamvir agris dandis adsignandis' in tab. Bant. leg. Rom. (p. 38 Br. et in leg. agrar. Thoria p. 16 et 18) multisque aliis l.; sed ,datum et ads.' Sen. benef. 7, 4, 2, cfr. pag. 18.

Item saepe invenimus apud iuricons.: ,dare attribuere', ,dare praebere', ,dare praestare' [quater in Dig.], ,dare solvere', ,dare facere' [per notas: D. F., cfr. M. Valer. Probi. p. 141 H.; saepissime inveniuntur haec form.], ,agere facere', ,ducere agere', ,ire agere' [in Digest. duodecimae, item ,iter actus' saepe inveni], ,habere possidere' [possedi habuique Sen. dial. 9, 11, 3, cfr. p. 13], ,tenere habere', ,dare legare' [in Digest. semel et quinquagies], ,dare dicare', ,dare donare' [cfr. Cic. in Verr. 2, 4, 29, 67, de leg. agr. 3, 3, 11], ,dare devovere', ,reddere restituere' [in Dig. xxviii. cfr. Ter. Eun. 147. 746: reddere ac rest.], ,resolvere restituere', ,sit sat', ,dare reddere', ,negotia purgare'.

,sententiam dicere ferre', ,fiando feriundo'. Saepissime eiusmodi verbis coniunctio additur, ubi extra formulam posita sunt, sed ne aliis quidem locis semper abest; in legibus autem omnino asyndeton nonnunquam sublatam esse eo, quod particula ,ve' adinneta est, iam supra significavi.

Atque iam animos intendamus ad illa verborum asyndeta, in quibus consulto patiendi et faciendi modi componuntur, ut sub aspectum unum cadant et in unam eamque efficacem notionem colligantur itaque totam rei imaginem contineant, velut ap. Tac. ann. 6, 35: pellerent pellerentur, ap. Catull. 45, 20: amant amantur, ap. Plin. pan. 21, 4: agnoscis agnosceris, ap. Sidon. Ap. carm. 19, 10: inspicias inspiceris, ibid. 20, 341: ,— timent, timentur —'; cfr. Sen. dial. 1, 5, 4, Fronton. ad. M. Caes. 2, 1. p. 28 N., Arnob. 7, 41 et 44, Plin. ep. 9, 33, 6, anthol. l. B. f. I, p. 186, 284, 3, [Phaedr. 2, 2, 1]. Sed: ,ausinetur et sustinet' Colum. r. r. 4, 16, cfr. Sen. n. qu. 2, 11, 1. 4, 2, 5. 4, 11, 2, Liv. 9, 18, 19, Arnob. 5, 27, tum Kuehner. l. gramm. II, 2, 750: „nachlässig der Gegenſatz attivo u. passiver Verbalformen“; praeterea monendum est talibus locis orationem ferri incitatus.

Similis his videtur esse iurisperitorum potissimum consuetudo duo tempora conectendi sine coniunctione, velut saepe invenimus ,oportet oportebit' [= O. O. M. Valer. Prob.], ,est erit', ,fecit fecerit', ,iubetur iubebitur', ,coit coierit'; [cfr. Cic. phil. 5, 17, 46: defendant defenderint, Liv. 20, 27: gesta sunt geruntur; sed his duobus locis, quibus in fine enunciationis duo verba dissolute dicuntur ita, ut oratio abscisa videatur, in asyndeto vis quaedam est]. Sed nullo pacto haec consuetudo cum illo quem supra indicavi usu potest comparari. Nam gravitas et vehementia ab hac consuetudine abhorrent; illi autem usui accommodatissimae sunt. His enim exemplis, potissimum in legibus, respiciuntur quaecumque res fieri possunt; his igitur locis adversus omnes res animi firmantur.

Atque hoc loco pauca addam de imperativorum asyndetis. [De imp. as. in l. Graeca cfr. Bromig. p. 21. 35. 38].

Draegerus [II p. 27] dixit comicos interdum extra illud praecipuum, quod alii scriptores tenentes duos imperativos dempta coniunctione dissolute dicebant, egressos esse, et at-

talit multa exémpia. Sed postquam multos locos perscrutati sumus, illud Draegeri ita emendandum esse putamus, ut Plautum quidem dicamus illam legem rarissime migrasse, praeterquam si imperativos duos separavit interpositis aliis vocabulis. Fere autem semper imperat. duos ille dissolute dicebat, ubi alterum imp. proxime post alterum collocabat; perraro hanc legem migravit, velut in Bacch. 592: *abi et renuncia*, cfr. Pseud. 163 (Lor.), mil. glor. 1338, Rud. 858, Men. 273 (2, 1, 47), plura exempla non inveni. [Cfr. Kuehner. l. gr. II, 2, p. 648, 12, quae interpretatio in multa Plauti exempla non cadit]. Plerisque autem aliis locis, si coniunctio est addita, aliquod vocabulum post priorem imper. vel post coniunctionem interpositum est ita, ut alter imperativus alterum ipsum non consequatur, velut [ap. Plaut.] in mil. glor. 255: *abi ergo et — iube*, 394: *abi intro et conprecare*, cfr. Pers. 1, 3, 85, Pseud. 867 (890), Stich. 588, Asin. 367. Draegerus igitur versu sexto p. 27 errat dicens: ita saepius *,abi et [imperat.]* inveniri, nam plerisque a Draeg. ipso allatis loc. invenimus, si coniunctio addita est, interpositum aliquod vocabulum, non proxime conexos esse imperativos. Apud Terentium autem eandem loquendi consuetudinem invenimus; cfr. Phorm. 712. 445. 982. 994, Heaut. 804, Andr. 897, Ad. 942, [tace tace Eun. 834, mane mane Heaut. 613. 736, Phorm. 217, Ad. 264, Hec. 495; elegantem esse hanc eiusdem vocabuli geminationem iam supra demonstravi]. Excipienda sunt haec exempla: *,valete et plaudite* Phorm. 1055, Eun. 1094, Heaut. 1067, cfr. Ad. 917, Eun. 763. Sed ubi unum plurave vocabula interposuit, fere semper coniunctionem addidit; cfr. Phorm. 563. 564. 921; Heaut. 302. 831. 618, Andr. 255. 724 et 725, Ad. 167. 185. 351. 699. 794, Hec. 314. 359. 611. 654. Draegerus igitur aliique magno in errore sunt Terentium dicentes duobus imperativis crebrius coniunctionem dempsisse quam addidisse. Nam viginti quattuor locos [praeter illos: *,mane mane, tace tace*] inveni, ubi duo imperativi ab eo per *asynd.* dicti sunt, plus duodetriginta locos, ubi coniunctio est adiuncta.

Item a Liv. et optimis scriptoribus cum alii imperativi dissolute dicebantur tum saepissime *,i*, *,abi*, *,exi* [transi] et in singulari et in plur. num. positi cum alteris sine particulis conectebantur; cfr. Fleckeis. ann. 1851, 61, 1, 18. Velut Liv. quattuor locis et Curtius uno [4, 15, 56 (7)]: *,abi nuncia* dixerunt. Ex quo dissoluto perluet *,festi*.

natio eius qui necessitati paret vel eius qui loquitur impatiencia.

Imperativos autem duos, praesertim si alteri alter adnectitur explicandi causa vel si instantius dicimus, dissolute dici testimonio sunt multi scriptorum loci, velut Liv. 3, 45, 7, 1, 26, 11, 35, 38, 22, 10, 4, 10, 9, 4, 16, 9, 24, 9, 9, 11, 13, Catull. 8, 11: perfer obdura [sed „p. et obd.“ Ovid. trist. 5, 11, 7 et art. amat. 2, 178, cfr. Hor. sat. 2, 5, 39]. Quod idem asyndeti genus invenimus in obliqua oratione adhibitum, velut ap. Tac. ann. 1, 51: pergerant properarent, 2, 17: irent sequerentur, cfr. Liv. 7, 6, 10.

Quodsi omnia, quae de imperativorum as. bim. observari, sub unum aspectum subiciam, haec ferme sunt: non solum ap. Plaut. et Terent., sed etiam ap. Sen. rhet. Cic. Liv. Sall. Petron. Plin. min., quorum libros diligenter perscrutabar, omnino apud plerosque script. et per omnia saecula eandem legem ita servatam esse perspeximus, ut, ubi duorum imperat. alter alterum proxime sequeretur, coniunctio fere semper ommitteretur, ubi autem unum vocabulum plarave interponebantur, coniunctio adderetur.

d) de
adiecti-
vorum et
participi-
orum
dissoluto.

Acuratius autem verbis tractatis transeat iam oratio ad adiectiva et participia.

„Volens propitius“ [precationis sollemnis verba].

Haec vocabula crebro coniunctione dempta dissolute dicebantur, velut iam ap. Plaut. Curc. 89: volentes propitiæ, deinde in inscr. Orell. n. 2489, ap. Cat. r. r. c. 134 (135) bis. c. 139. c. 141; 2, *) tum ap. Liv. 1, 16, 3, 7, 26, 4, 24, 21, 10, 24, 38, 8. Sed coni. addita: ap. Liv. 29, 14, 14: „v. propitiæque“ 22, 37, 12, 39, 16, 11: „prop. volentibusque ea“, cfr. Sen. de clem. 1, 1, 2; „propitius dis“ [sine „vol.“] Sen. epist. 22, 12, „propitiis ac faventibus“ Justin. hist. 39, 3. Posterioribus igitur illa prisca ac vetusta formula: „vol. prop.“ iam non probata est.

A Draegeri autem opinione, qua iudicat haec vocabula rarissime per copulam [„que“] copulata esse, ita dissentio, ut coniunctionem fere non esse additam existimem, nisi ubi

*) Lectio „volens propitius“ (141, 2), cum similitudinem eorum, quos modo attali locorum habeat hic locus, anteferenda est illi „v. propitiæque“.

illa extra precessionis formulam posita sunt. Addidit sane Liv. 22, 37, 12 [vol. prop. que, firmam ac stabilem, ofr. Fabri — Heerwagen ad h. l.] copulam ,que', sed non sine causa; primum ideo, quod sequuntur verba: ,firm. ac stab.'; aptam igitur intendebat membrorum compositionem. Deinde ,que' adiunxit, quod illa verba ,vol. prop.'; quae aliis locis atque omnino fere ἀσυνδέτως posita inveniuntur, cum quasi una notio in mente et memoria eius, qui legebat vel audiebat, versarentur, propter frequentem usum vim ac potestatem ipsius tempore perdiderant. Eo autem, quod h. l. ,que' adiunxit, illis vetustate contritis vocabulis vel potius utrique veram ac propriam significationem, quae procedente tempore [propter crebrum usum] non iam integra erat in asyndeto, reddere voluit; atque hac re graviora et efficaciora illa facta sunt. Quodsi duo alia vocabula, quae rarissime vel paene nusquam in unum locum componebantur, pro ,vol.' et ,prop.' illo loco Liv. usurpasset, dissolute dicere poterat; neque enim illa, nisi proverbii locum obtinebant, iam orbata erant vi ac potestate propria. Creberrimum autem illum loquendi morem fuisse constat, ex quo prius par dissolute, posterius coniunctione addita dicebatur.

Ad Liv. 39, 16, 11 Weissenb. opinatus est, cum ,ea' et ,omnia' intervallis disiuncta essent, ,ea' non ad ,volentibus' referri posse; verba enim ,diis prop. vol. que' insuper proverbii locum obtinuisse. Sed ob ipsam eam rem, quod Liv. consulto verborum ordinem invertens dixit: ,prop. vol.', non ,vol. prop.', mea quidem sententia ,ea' ad ,volentibus' referendum est. Non enim ,prop. vol.' in proverbii consuetudinem venit, sed ,vol. prop.' Omnibus locis, quos investigavi, ,vol. prop.' scriptum legimus, nullo ,prop. vol.' Itaque ut ,ea' pertineret ad ,volentibus', illa vocabula a translatio verborum ordine discedens Liv. ita collocavit, ut diceret ,prop. vol.', quae vocabula ita constituta extra formulam proverbisalem sunt posita.

,Sacer religiosus'

Quod as. scriptum legimus ap. Cic. de harusp. resp. 6, 11, 14, 30, in Digest. 48, 13, 4, ofr. 6, 1, 29, 1. Coniunctio saepe addebatur, velut in Digest. quaterdecies, ofr. Cic. de leg. 3, 13, 31, Salvian. de gub. d. 1, 2, 12, Gaium II, 3, 48, III, 97; [,sacra sancta' ap. Catull. 63, 24, ,sacer sincerus' ap. Plaut. Men. 291].

,Doctus eruditus' in inscr. Wilm. 551 bis (Garucci p. 362: 1327 (= 1009 LXXXXI)], cfr. Apul. de mag. 42, 497: doct. atque eruditum [Hildebr. ad hanc l.], deinde met. 10, 33, 746, de deo Socr. 23, 175, Cic. Brut. 42, 154, 30, 114, de orat. 1, 22, 102.

,Vagi palantes'

Haec vocab. invenimus ap. Sall. Jug. 18, 3, ap. Liv. 7, 17, 8, ap. Fronton. [qui Sallustio adhaeret] in princ. hist. p. 204 N. Sed quaestio nascitur, num in ,vagi pal.' omnino asyndeton statuendum sit. Nam contra dicat quispiam illo loco Liv. 7, 17, 8 copulam non sublatam neque asyndeton statuendum esse, sed adiectivum ,vagi' participio ,palantes' appositum esse accuratius exponendi causa, quo graecismo profecto nihil ap. Liv. frequentius est. Atque hoc intellegi posse ex Liv. 23, 42, 12: ,vagos — palatos' et ex 5, 44, 5: ,vagique palantur'. Sed cum Liv. et Fronto illa eadem vocab. compluries copularent per ,que' et ,ac' [cfr. Liv. 21, 61, 2, Front. princ. hist. p. 206 N.], pro certo putamus illa vocab. illis quos supra attuli locis dissolute dicta esse posse.

,Vetustus antiquus' [cfr. Woelfflin. de lat. Cass. Fel. p. 428]. Hoc as. traditum invenitur in iure hosp. et client. Bruns p. 152: vetustum antiquom. Cfr. Eran. ann. rel. 1, 22 [v. 24 Vahl]: prisci cascī populi ten. [alia lectio: priscum — genuere], quod exemplum allatum est a Varron. l. l. 7, 3, 86 p. 315, deinde cfr. Front. ad amic. l. 1, 18 p. 186 N.: ,antiqui veteres' [,attici' pro ,antiqui' Mai]. Sed coniunctione addita saepe ,vetus' et ,antiquus' composita sunt, velut a Plaut. Amph. pr. 118, mil. glor. 751, Pers. 1, 2, 1, Mostell. 2, 2, 45, cfr. Plin. epist. 3, 6, 3, pan. 11; non raro ,priscus' et ,vetus' coniuncta leguntur, cfr. Plin. pan. 12.

,Fleus gemens' ap. Sen. Med. 958, in inc. Heracl. Oct. 1279, cfr. similes locutiones pag. 89; sed ,fleus et gemens' Val. Max. 3, 8, ext. 4, cfr. Sen. dial. 6, 2, 4, 12, 2, 3.

Prudens sciens [cfr. Forcell. lex. et Landgraf. in ann. gymn. Bavar. 1880, 16, 7, 318.]

Haec vocabula [quae aliquoties significant: sensu mentis integro = mit vollem Bewußtsein] cum saepe conexa essent, in proverbii consuetudinem venerunt. Sed uno loco dissolute dicta invenimus: ap. Ter. Eun. 72 [cfr. Donat. ad h. l.] eaque excepta ab articularum altero pari: ,pr. sc., vivus vidensque pereo'. Tamen asyndeti forma ut in multis, potissimum in iis quae iurisprudentium propriae sunt formulis, ita in hac mihi videtur principalis fuisse. Mirum autem est, quod apud iureconsultos, qui crebro hanc locutionem usurpabant quorumque ex sermone in cotidianum transibat, semper, ut videtur, coniunctionem ei adiunctam invenimus. In hanc igitur eandem locut. ut in permultas alias sensim et paulatim coniunctionem irrepsisse cognoscimus ex his exemplis: Cic. ad Att. 10, 9 A, 5: sc. prud.que, epist. ad fam. 6, 6, 6: prud. et sc., Cic. pro Marcello 5, 14, ad fam. 8, 16, 5, Sen. dial. 6, 17, 6, Suet. Nero 2, Apul. de mag. 52, 512, cfr. Aulul. s. Querol. p. 11, 11, Dict. Cret. p. 32, 29 M., Salvian. de gub. d. 6, 32: ,prud. et sc.'; in Digest. invenimus octies: ,sc. pr. que', semel ,sc. et pr.' 17, 1, 8, 8, cfr. Paull. sent. 1, 5, 1. 1, 9, 6. 4, 7, 3, Lactant. inst. 2, 3, 3. 6, 12, 13. Pro ,pr. sc. que' scriptum legimus ap. Sen. Herc. fur. 1308: ,volens sciensque', cfr. Sen. dial. 4, 28, 5, epist. 114, 21 (20), Dig. 41, 2, 6, Boët. cons. 4, 1, 92, similiter Cic. pro Cluent. 46, 129: ,sciente et vidente' [cfr. Forcell. lex.]. Sed ,sciens' et ,videns' ἀσυνδέτως posita nusquam inveni; nihilo autem magis illud Ter. in Eun. 72: ,vividensque' [respondens illi Graec. ζῶν καὶ ὄρων', cfr. Lambin. ad Lucret. 3, 1059], quod alliteratione adiutum in proverbium cecidisse intellegitur ex Cic. pro Sest. 27, 59: ,vividens, ut aiunt, est et videns, sed iam in or. pro Quinct. 15, 50 dixit: vivo videntique [cfr. Landgraf], cfr. etiam Apul. de mag. 85, 571, Plaut. Most. 2, 1, 79: vivo praesenti. Comparandum est denique as. ,sciens dolo malo', quod saepe scriptum legimus [cfr. sen. cons. ap. Frontin. de aquaed. c. 129], potissimum ap. iureconsultos [in Digest. undecies, cfr. 29, 5, 3, 22, ex quo loco intellegimus asyndeton esse illa verba, et leg. reg. II, 12 Bruns font. iur. Rom. ant.], et, quod contrarium est, ,sincere sine dolo malo' [in leg. tab. Bant. l. Osca 3 Bruns].

Cum ,diversae variae' [ap. Catull. 46, 11] cfr. ,diversis et variis' [ap. Fronton. in ep. p. 152 Nab.].

,Optimus maximus'.

Quamquam Juppiter plurimis locis ,optimus maximus' appellatur [ap. Liv. undetricies fere; cfr. Nep. Hann. 2, 3, Sen. dial. 7, 26, 6, Gell. 12, 8, 3, Scip. Afric. ap. Gell. 4, 18, 3], tamen ap. Cic. de deor. n. 3, 36, 87 scriptum legimus: Jovemque optimum et maximum app. Sed in aperto est, cur h. l. particula ,et' adiuncta sit. Cic. interpretis munere fungitur disserens, cur Juppiter non optimum modo, verum etiam maximum appelletur; ,et' igitur idem h. l. declarat, quod alio loco ,idem' [idemque] valet. Itaque rectissime Klotzius: ,hic non tam ipsa formula spectatur, sed vis ac sententia illorum verborum, quae magis exstant singula interposita coniunctione ,et'. Sed magis exstant singula illa verba hoc loco ob solam eam rem, quod illa nomina, quae Jovi attribuuntur [opt. max.], aliis locis fere dissolute dicebantur ita ut quasi una notio in animis eorum qui legebant vel audiebant inhaerent [cfr. quae ad ,vol. prop.' et ad ,ultra citro' dixi], hoc autem l. attribui illi duas notiones Cicero significare volebat. Sin autem alia vocabula, quae non obtinebant proverbii locum, usurpasset, ab h. l. asyndeton minus abhorreret; contrariam quandam enim vim et effectum habet asyndeton in verbis eis, quae non in proverbii consuetudinem venerunt: efficitur in talibus exemplis dissolutione, ut verba ipsa, quae dissolute dicantur, magis appareant et exstant singula. Quod consilium in proverbialibus locutionibus procedente tempore obscuratum est, cfr. supra p. 6. Hoc igitur loco [de deor. n.] addita coniunctio videtur idem spectare quod alibi dempta.

Causa eadem ad Cic. de fin. 3, 20, 66 et ad Sen. benef. 4, 7, 1 afferenda est. Eo enim, quod his l. illi adiunxerunt coniunctionem ,et' et ,ac', verbis duobus illis suum tribuere voluerunt, quasi illa de ea vi ac potestate, in qua nata erant, aliquid amisissent et de iure suo, — etsi in his ipsis verbis prisca forma erat asyndeton, — decessissent, cum coniunctio omitteretur. Jam Plant. Men. 4, 2, 3 ,optumi' et ,maxumi' [in plur. pos.] dissolute dixit, quae res affert nobis memoriam illius form.

Sed nulla probabili causa coniunctionem adiunxit Plin. n. h. 15, 80 (40), 134: J. optumi m. que; [28, 2 (2), 15 autem dixit: opt. maxumi]. Cfr. Paull. sent. 3, 6, 45: opt. max. que, et duodeviginti ex Digest. collecta exempla [opt. max. que], quae huc non pertinent, quippe quae non referantur ad Jovem, sed fere ad ,fundos'. Apud Ampel. autem in lib. mem. 9, 1: ,Juppiter — opt. maximus que est appellatus' optamus, ut ,que' demptum sit, cum ille ,optimus maximus', non ,opt. max. que' appellari so-leret. Ampelio igitur illa principalis forma servanda erat. Cfr. Arnob. 1, 34 et 7, 29.

De ,omnes universi', quae locutio huc refertur, cfr. Wcelfflin. or. de latin. Cassii Fel. p. 427.

Atque iam disseramus de iurisconsultorum et publici forensisque dicendi generis propriis asyndeti exemplis.

,Sarta tecta' [= unter Dach u. Fach, wohlverwahrt u. aufgehoben].

Haec participia eadem prisca vetustaque esse et a legibus orta existimo; sed ultimam originem vix novimus. Neque enim ullum superius exemplum inveni quam ap. Plaut. Trin. 317 (2, 2, 36), ubi Plautus transtulit illa ad Lysitelem filium, qui patris praecepta tamquam aedificium hereditate acceptum per omnem aetatem a putrescendo vel pereundo se diligenter servasse haud mediocriter laetatur. Sed ex eo, quod iam Plaut. haec verba translate dixit, intellegi potest multo ante usitatissima et in cotidiani sermonis usum recepta fuisse. Nam priusquam aliqua locutio, potissimum in comedia, in qua omnia facilia esse ad intellegendum necesse erat, transferri posset, iam diu in omnium usu versatam et sermone quodammodo tritam esse eam oportebat.

,Sarta tecta' [pro, s. et t. aedificia'] quasi privatis verbis censors utebantur, cum opera publica ruinam minantia resarcienda locabant, quae redemptoribus s. conductoribus in pristinum statum restituenda essent. [Saepissime ,exigere' conexum invenimus cum ,sarta tecta' = anquirere et constituere, num aedes ex lege censoria sint refectae].

Dissolute dicta invenimus illa ap. Cic. in Verr. 2, 1, 40, 103, ibid. 49, 128. 50, 130 et 131. 2, 3, 7, 16, ad fam. 13, 11, 1, deinde ap. Liv. ter, in Digest. 7, 1, 7, 2. 48, 11, 7, 2. 7, 8, 18, sed ,s. tecta que' 1, 16, 7 [Ulp.]. Cfr. inscr.

ap. Grut. 411, 1, de qua v. Borghesi, *oeuvre*. t. 4 p. 152, qui liber mihi non praesto erat. Cum ‚sarta tecta‘ cfr. etiam Plaut. Merc. 1, 2, 65: salva et sarta.

Ex sollemni autem quod iureconsultorum proprium est dicendi genere in proverbium abiisse illa participia apparet. Atque transferuntur ut a Plauto ita a Cic. ad fam. 13, 50, 2: ‚Curium sartum et tectum, ut aiunt‘*) et a Pseudocic. in or. pr. qu. in exs. iret 6, 14: ‚sartum ac tectum‘; ‚ac‘ exhibent cod., Orelliana autem edit. prior ‚sart. tect.‘ praebet, item apud Erasmum ‚ac‘ deest. Sed ‚ac‘ ferri potest, ut videbimus, vel ideo, quod illa verba translata sunt hoc loco, — cum discesserimus ab illa quam ad ‚opt. max.‘ et antea iam significavi causa. Illis igitur duobus locis et ap. Cic. in Verr. 2, 1, 51, 136: ‚in his sartis tectisque‘ coniunctionem additam invenimus.

Quoedum ap. Cic. [ad fam. 13, 50, 2] verba ‚ut aiunt‘ ad ‚sartum et t.‘ adiuncta inveniamus, quibus significatur illa verba celebrata esse proverbii loco, expectamus pro ‚s. et tect.‘ potius ‚sartum tectum‘ optantes, ut Cicero illorum verborum proverbiali naturae suum tribuat. Ex eadem autem causa optamus, ut ‚que‘ desit ap. Cic. off. 3, § 116: ‚viris equisque, ut dicitur‘ [cfr. Allgayer. in Krebs. *Antibarb. praef.* p. 23 (1876)]. Illo sane loco in Tusc. 3, 11, 25: ‚velis, ut ita dicam, remisque‘ coniunctio deesse non debet, cum interposita sint illa verba ‚ut ita d.‘ quae ad totam enunciationem et potissimum ad translationem referenda sunt. Sed ordo verborum proverbialis illorum naturae causa mutari poterat. Neque enim proverbii locum obtinent illa nisi dissolute dicta. Sed Cic. monstravit quidem eo, quod ‚ut aiunt‘ vel similia verba adiunxit, illa de quibus agitur verba proverbii speciem habere, sed ipse coniunctionem addidit egressus extra praeceptum, quod ipse tacitus dedit de fin. 2, 26, 85: ‚ioca seria, ut dicitur‘. Quodsi non miraris, quod hoc loco coniunctio non addita est, cum haec verba non aliter ac proprie dici possint, tamen illud profecto mirum est, quod Cic. illis locis [de off. 3, 116 et ad fam. 13, 50, 2 (et Tusc. 3, 11, 25)] proverbialem for-

*) Falso suspicatur Kuehner II, 2, p. 752 ex eo, quod adiunctam est ‚ut aiunt‘ concludens ‚sartum et tectum‘ celebratum esse proverbii loco. Non enim in ‚sart. et t.‘ proverbialis natura inest, sed in ‚sartum tectum‘. Compluribus autem Cic. ‚ut aiunt‘ vel similia verba adiunxit neque tamen proverbiali formae suum tribuit, cfr. infra.

mulam, cuius partes certe prius fere sine copula altera alteri adnexae erant, non per asynd. dixit. Itaque illum quidem opinor iis locis, quibus eius generis verba proverbii loco celebrata transferebat, coniunctionem addidisse ac ne tum quidem, si adiunxit, ut aiunt, dissolute illa dixisse; ubi autem illa verba dicebat proprie, particulam plerumque omittebat [excepto illo l. in ep. ad fam. 9, 7, 1]. At e contrario Plant. Trin. 317, sarta t. translate dixit neque addidit coniunctionem.

Miram est — ut hoc adiungam — quod Schorus [phras. l. Lat.] ,sartum tectum' non commemoravit nisi coniunctione omissa [cfr. quae ad ,ultro citro' dixi]. Tribus illis locis [Cic. ad fam., Cic. in Verr., Ps. Cic. in or. pr. qu. in exs. l.] ,que' et ,ac' omisit.

,Ruta caesa.'

Sext. Pomp. Festus explicavit hunc in modum haec verba [ap. Bruns. p. 200]: ,rut. c. dicuntur, quae venditor possessionis sui usus gratia concidit ruendoque extrahit'; quae interpretatio magis mihi placet quam illa, quam ap. Scaevol. in Digest. 50, 16, 241 invenimus: ,in rutis caesis ea sunt, quae terra non tenentur quaeque opere structili tectoriove non continentur'. Cum hac consentit illa, quae in Digest. 19, 1, 38, 2 invenitur.

Scripta legimus haec verba eaque ἀσυνδάτως posita ap. Cic. part. 31, 107, top. 26, 100, in Digest. quinquies. Sed Cic. de orat. 2, 55, 226 [,ne in rutis quidem et caesis'] ,et' addidit, quod [ne —] quidem interposuit; sed nisi ,ruta caesa' unam notionem efficerent, dixisset: ,aut caesis'. ,Et' autem h. l. artissimum vinculum est, quo illa inter se copulari possunt. Sed cum duobus illis vocabulis pro appellatione et quasi pro notione una scriptores uterentur, Cic. dicere plane non potuit: ne in r. quidem caesis [cfr. Digest. 17, 1, 29: pacti forte conventi]; nam ,ruta' vocabulo ,caesa' aequandum est; neque vero alterum alteri subiectum est.

In Digest. 19, 1, 17, 6 [,si ruta et caesa'] ,et' propterea additum est, quod utrumque singulatim declaratur, alterum segregatim ab altero. Erasmus autem ut in ,sartum tectum' ita in hoc exemplo ,et' omisit. — Cfr. denique Varron. l. l. 9, p. 533 Sp.

,Factum transactum'

Proverbii locum obtinuisse videntur haec verba, quae scripta legimus ap. Terent. Andr. 248 quaeque iuriscultorum sermonis propria fuisse existimo, quamquam in Digest. non inveniuntur. Sed Cic. in Catil. 3, 6, 15: factum atque transactum est, cfr. autem frgm. iur. Rom. Vatic. de donat. 266 a. (p. 750) et 285 (p. 757): acta facta.

,Status condictus'

scriptum legimus ap. Plaut. Curc. 1, 1, 5; sed ,st. cond. ve' in antiqua formula ap. L. Cincium de re milit. [Huschke § 13, p. 88, cfr. Gell. 16, 4, 4].

,Aequum bonum'

Haec adiectiva saepissime idem declarant, quod inest in aequitate iuris [cfr. Klotz. lex.].

Antiquissimum huius asyndeti exemplum, si comparaveris cum ceteris, invenisse mihi videor ap. Plaut. Men. 578 (4, 2, 10): aequom bonum [ordine inverso dicebat: bonum aequomque].

Ita autem sine particula adiectiva haec posita, ut aequum bono antecedit, invenimus his locis: [ap. Plaut. Men. 578, cfr. ,aequom melius' Merc. 5, 2, 57, ubi comparativus pro positivo ut aliis locis dictus videtur,] ap. Cic. phil. 2, 37, 94, ad Att. 7, 7, 4, cfr. Cic. Brut. 53, 198, top. 17, 66. Sed coniunctiones illis hoc ordine collocatis adi. saepe addebantur: ,que' [aequi bonique facere: formula cotidiani sermonis] et ,et' [ap. Cic. sexies] saepius multo quam ,ac', quam ter tantum inveni.

Comparativi inveniuntur hoc ordine positi ap. Cic. pro Rosc. com. bis: aequius et melius.

Sed ,bonum aequum' bis tantum inveni: in Digest. 21, 1, 42 et 47, 10; 18. ,Bonum aequomque' ap. Plaut. Most. 3, 1, 149, Pers. 3, 1, 71, Rud. 184 (1, 2, 94); ,bonum et aequum' apud iureconsultos saepe invenitur, ,bonum atque aequom' semel: ap. Ter. Heaut. 642 (4, 1, 29), [cfr. Plaut. Men. 578].

Comparativi: melius aequius ap. Cic. top. 17, 66 (sed non ipsius Cic. verba), de off. 3, 15, 61 bis [e lege Aquilia sumpta], in Digest. 24, 3, 66, 7, sed ,mel. atque aequ.' Quintil. 7, 7, 8.

Superlativi: ,optimum atque aequissimum' plus septies ap. Plautum inveniuntur.

Jurisconsulti igitur haec adiect. ita collocabant, ut aequo bonum antecederet [in Digest. vicies quater ,bon. et aequ.', sed ,aequ. ac (et) bon.' ter tantum], quamvis magnam spem habeamus illos ,aequum et bon.' dixisse; nam naturalis sententia est: aequus et ob eam causam bonus.

Wichertus ad Cic. de off. 3, 15, 61 [bis: ,melius aequius'] opinatur h. l. illa verba Ciceronem indiligentius reddidisse, diligentius dicendum fuisse ,aequius melius', nam top. 17, 66: ,aequius mel.' dictum esse. Sed plerique et optimi cod. h. l. non ,aeq. mel.', sed ,mel. aeq.' scriptum exhibent. Item M. Val. Prob. [p. 141 H.]: M. A. E. = ,melius aequius erit' hunc ordinem significavit.

Itaque si illos quos attuli locos omnes sub unum aspectum subiecerimus, illa adiect., ubi gradus positivus in asyndeto usurpabatur, ita posita esse inveniemus, ut ,aequum' ab adiect. ,bonum' exciperetur. Excludendi autem sunt soli illi ex Digest. allati loci. Atque hoc ordine, qui necessarius videtur, cum sententia insit: ,aequus et ob eam causam bonus', semper illa adiect. collocavit Cicero. Sed cur, ubi comparativus in asyndeto dicebatur, verborum ordo commutatus sit [etiam a Cic.] ita, ut ,mel. aequius' diceretur, non ,aequius mel.', etsi non intellego, tamen codicum fidei obtemperaturus sum in hac re. Quintil. autem 7, 7, 8 illud praeceptum non tenens dixit: ,mel. atque aequius', quod fortuito factum esse existimo; neque enim quidquam cogitatione percipi potest, quod potissimum ille secutus sit. Cicero autem illo [pro Rosc. com. 4, 11: aeq. et melius] loco ob ipsam eam rem, quod verborum ordinem invertit, coniunctionem ,et' addidit; consulto igitur non dixit ,aequius mel.', quae verba a formulae proverbiali natura abhorrent. Legitima enim verba videntur fuisse: ,mel. aequius' vel ,aequius et mel.' Cfr. Boëtium ad Cic. top. 17, 66 [compluries ,mel. aeq.' profert]. At contra dixerit quispiam verba quae a Cic. illo pro Rosc. loco ex legis formula sumpta et allata sint, item copulata et collocata esse ut ea, quibus ipse usus sit illo l. Sed haud scio an consulto eodem verborum ordine eademque copula usus

sit, quae continetur illis formulae verbis ab ipso allatis, ut formulae illi qualem ipse traditam invenerit suum tribuat. Praescriptum igitur hoc servatum esse collocatione videtur: ,aequum bonum', sed ,mel. aequius', ubi ἀσυνδέτως illa ponebantur; ubi autem coniunctio addebatur, discrimine sublato omnia promiscue habebantur. Cum ,mel. aeq.' cfr. ,mel. honestius' in inscr. ap. Garrucci. p. 291: 1034 (= 603 LXXXII v. 11).

Apud iureconsultos haec quoque as. invenimus: ,empta parata' [in Digest.] et ,surdus mutus' [item in Digest. saepe] et ,vinctus verberatus' [cfr. leg. 12 tab. 10 Bruns et Digest. 47, 9 et Fronton. p. 214 N.].

In sequentibus adiect. adhibitum dissolutum augetur gravitate per alliterationis figuram. Laudandum est h. l., quod Schneiderus de prov. Plant. — p. 53 dixit.

,Certus clarus'.

Haec adiect. ἀσυνδέτως posita inveniuntur ap. Cic. ad Att. 16, 13c, 2: omnia certa clara, ap. Sen. apocoloc. 1, 3: ,c. clara adfero' [Fickerti lectio ,certe clara adf.' reicienda est], sed ap. Ter. Hec. 841: ,certa et clara attuleris'. ,Certa clara afferre' igitur proverbiali videtur figura dictum esse; sed illud Sen. exemplum nequaquam sufficit ad ,et' Ter. illo loco tollendum. Deinde invenimus ap. Cic. pro Rosc. com. 12, 37: ,certiora et clariora'; asyndeton h. l. recte se haberet, praesertim cum adiunctum sit ,alia', in quo vocab. comprehendendi vis inest, si Cic. concitate et cum vi diceret. Ex eo autem, quod ,et', non ,aut' positum est, recte conicias illa adi. ,certus' et ,clarus' conficere notionem unam et proverbii locum obtinere, ubi sine coni. componuntur. Cfr. denique Cic. in Verr. 2, 1, 24, 62 [propter interpositum ,sunt' adiunctum est ,et'], Liv. 6, 1, 3, Hor. sat. 2, 6, 27 [cfr. Orellium], auct. ad Herenn. 4, § 66, Valer. Max. 11, 12, 1; Plin. ad Traian. ep. 58, 9: rata et certa.

,Purus putus'.

Hoc as. scriptum invenitur ap. Enn. trag. rel. 99 Vahl. = 62 R [cfr. Ribbeck frgm. com. p. 19], ap. Plaut.

Pseud. 972 (989). 1183 (1200), ap. Varr. Riese p. 202: X (14) et p. 156: II (2) [Buecheler 91 et 432], deinde ap. Alfenum iuricons., discipulum Servii Sulp. Rufi ac rerum antiquarum non incuriosum script. [Huschke p. 99]: argenti puri puti. Cfr. etiam Gell. 7, (6), 5: scriptum est ,pur. put.' in multis aliis veterum libris.

Sed iam Varro frgm. sat. Riese p. 119: V (5) = 1, 112: pura ac puta; apud posteriores autem haec adiect. non inveni neque dissolute dicta neque copulata. Cfr. autem Plaut. Pseud. 4, 7, 52: lectae, numeratae minae, Pers. 3, 3, 34: probi, numerati [ibid. 4, 3, 65: prob. et numeratum]. Idem quod Alfenus existimavit ,putum' significare ,valde purum' testatur Varro l. l. 6, 7, 63 (p. 240 Sp.) dicens: ideo antiqui purum ,putum' appellarunt.

Erasmus proverbium illud ortum videtur ex aurificum officinis, qui ea forma dicebant ,purum putum', quemadmodum iuriconsulti: sarta tecta. Illud quidem satis luculente.

,Laetus lubens'.

Priscae, quae eadem alliteratione comprobatur, vetustatis color inest in his vocabulis compositis. Quae dissolute dicta inveniuntur ap. Plaut. Trin. 821 et in inser. ap. Garrucci. p. 532: 2173 (= 1448); cfr. anth. l. R. f. II, p. 168, 22. Sed iam Ennius Euhem. s. sacr. hist. 11, 62: laetus ac libens, cfr. Sen. dial. 1, 3, 13: l. et lib. [dial. 9, 11, 3: gratus libensque, sed de clem. 2, 6, 1 (libens et altus animo) ,altus' mutandum videtur in ,laetus' [al = la(e)], Plaut. Stich. 276 (2, 1, 3): laetitia lubentiaque, Cic. Tusc. 4, 28, 60, ad Att. 2, 4, 2: gaudenti ac libenti, Catull. 31, 4, Sidon. Apoll. epist. 5, 6: libens atque cum gaudio; [Ter. Ad. 756: hilarum ac lub., cfr. Plaut. Pers. 5, 1, 8, Varr. l. l. 7, 5, Sen. epist. 1, 12, 9. 7, 4, 15.].

In Front. exemplo [ad Ver. p. 117 Nab.] coniectavit Mai: ,quod [si volens] libens scienti animo [hoc offic. non] pers.' Cuius in memoria videtur fuisse illud Sen. in epist. 37, 2: volens libensque. Sed cum ap. Front. ad amic. 2, 7 [p. 192 N.] ,laetus ac libens audio' scriptum legamus idemque omnino iis asyndetis delectaretur, quae apud vetustiores script., potissimum ap. comicos poetas, invenimus, ad rem pertinere videtur coniecturam ex illo loco [a Woelfflino, ni fallor] captam probare: ,laetus libens —'.

Similiter in Plaut. Cas. 5, 1, 15 [lubens et solens] nobis Sen. exemplum in epist. 37, 2 [vol. libensque] in-tuentibus legendum est: lubens et volens.

Cfr. h. l.: ,libens meritoque' Plaut. Pers. 2, 3, 3. Sed ,libens merito', quod asyndeton Klotzius in lex. commemoravit [notatum per = L. M.] nusquam inveni, nisi transiit intentionem meam. Saepissime autem in inscr. hoc inveniri Klotz. dixit.

,Fortis fidelis'.

Haec adiectiva saepe dicuntur in hominibus rei publicae militarem operam praestantibus, potissimum sociis laus haec tribuitur pro stipendiis bene factis.

Uno loco dissolute dicta ea invenimus: ap. Liv. 22, 60, 20 [cfr. Petron. 71: trimembre]; novem autem ceteris locis Liv. coniunctionem ,que' vel ,ac' addidit; cfr. Flor. 2, 6 (3, 18), 6, a. b. Alex. 43, 2, Cic. phil. 6, 1, 2, Apul. m. 4, 7, 251, Sall. Cat. 20, 3: f. fidosque, similiter Amm. Marcell. 20, 5, 30, cfr. Thielmann. progr. Spir. pag. 23.

Sed ut ad Liv. 22, 60, 20 redeam: huius loci sententiae aptissimum est asyndeton atque adeo ex hoc exemplo potest disci, cui loco accommodatum sit illud. Totam enim notionem adiectivi ,fid.' non minus quam universam illius ,fort.' in eorum qui audiunt animos penetrare iisque inhaerere vult orator commotus itaque illa vocab. ante oculos eorum qui audiunt quasi aperta proponit. Quantum enim ,scelus' cives in se admiserint, inlustrare vult verbis augens rem. Ex eodem autem exemplo effici potest orationem fere multo alacriorem et vehementiorem fieri, ubi particula omissa est. H. l. videmus oculis vim et effectum dissoluti.

,Incompositus inordinatus'.

Quae vocab. saepe a Liv. componebantur; particula autem copulativa non omittebatur nisi 23, 27, 5, ubi duo paria dissolute dicta sunt. Similiter Liv. 40, 28, 2 dixit: dispersi, inordinati; ,disp.' idem significare ut ,incompositi' ostendunt et quae sequuntur et quae praecedunt verba; cfr. etiam 22, 50, 8, 22, 56, 2. l. 44, 12. 44, 39, 1, Curt. 5, 13 (36), 11.

Tum afferenda sunt hoc loco:

,exul extorris' ap. Liv. 5, 30, 6, cfr. 37, 53, 21, Tac. hist. 5, 24, Gell. 2, 12, 1, Apul. de mag. 92, 583. 75, 555, Dracont. c. min. 5 (controv.), 218 de D. [Liv. 2, 6, 2: extorris egens, cfr. Muellerum ad h. l., Ovid. Ib. 113: exul inops],

,siccus sobrius' ap. Martial. ep. 12, 30, 1, cfr. Sen. epist. 18, 4. 114, 3, dial. 7, 12, 4.

Suspicio denique est ,sanus salvus' et ,salvus sospes' dissolute esse dicta, cfr. ad haec: Plaut. Capt. 873, Rud. 631, Sueton. Aug. 28, ad illa: Plaut. Epid. 4, 1, 40 (36), Amphitr. 730, Merc. 5, 2, 48, Pseud. 4, 6, 6, Cic. ad fam. 12, 23, 3, Digest. 16, 3, 26.

De ,nudus naufragus' cfr. Thielm. progr. Spir. 1881, p. 21.

Creberrime atque adeo fere ,tot' et adiectivum vel partic., cui ,tam' adiunctum est, dicuntur dissolute, ubi conexa sunt: iam Plaut. Poen. 1, 2, 100 dixit: verba tot tam suavia; item: ,tot tam —' Cic. septem locis, Liv. octo, cfr. dial. de orat. 33, a. b. Afric. 31, 9. His locis, quibus asynd. scriptum legimus, adiectivum vel part. cum ,tam' coniunctum et ,tot', quod praecedit, in aequo inter se ponuntur; ,tot' autem non levius valet quam adi. vel. part.. Sed aliis locis coniunctio additur eo consilio, ut adiect. vel part. cum ,tam' coniunctum plus gravitatis habeat et efficacius sit quam ,tot'. Illi autem notioni, quae per ,tamque (et tam) —' his locis adiungitur, profecto per se plus ponderis affertur quam vocabulo ,tot'.

,Tot tamque —' vel ,tot tam —' quae quater Cic. dixit, sed ,tot et tam —' uno solo loco [in Verr. 2, 5, § 150, cfr. Val. Max. 1, 1, Ps. Cic. or. pr. qu. in exs. ir. 3, 7]; ,tot ac tam —' invenimus ap. Liv. duobus locis, cfr. Quintil. 12, 1, 7.

Draegerus II, p. 12 dixit: ,tot' et ,tam —' [cum adi. vel part. coniunctum] vel ,tantus' solere a Cic. per unam ex part. copulat. conecti et attulit exempla a Klotzio prolata. Sed hoc non prorsus verum est. ,Tantus' quidem cum ,tot' copulari solet, sed ,tot' cum ,tam —' multo rarius copulatur. Draegerus vero unum affert locum, quo ,tot' et ,tam —' copulantur.

Ut autem ,tantus' ita ,talis' solet per particulas ,et', ,ac', ,atque', ,que' copulari cum ,tot'.

,Tot et tant[us]‘ inveni ap. Cic. quinquies, cfr. Sen. dial. 11, 12, 1, Plin. n. h. 2, 68, 171, ,tot ac tant.‘ ap. Cic. semel, cfr. Quintil. 3, 1, 22, dial. de orator. 8, ,tot atque tant.‘ ap. Cic. bis, ,tot tant. que‘ ap. Cic. undecies. ,Tot ac talis‘ Cic. pro Rosc. Am. 2, 5, pro M. Caelio 28, 67, pro Lig. 12, 36 [tot talibus viris‘ exhibent cod. Gemblac. et Coloniens., ,ac‘ Erfurtens., sed cum ap. Cic. asyndeton ,tot talibus‘ uno loco, quo ,tot‘ et ,tales‘ separata sunt, scriptum legamus, lectionem ,tot ac tal.‘ h. l. illi Gemblac. et Colon. scripturae anteferendam esse existimo], ,tot et talis‘ Cic. phil. 2, 6, 13, pro Quinct. 13, 42.

,Tot‘ et ,tantus‘ vel ,talis‘ composita principio mihi videbantur non dissolute dicta esse, nisi ubi vocabulum interpositum esset: ,tot res, tantas‘ Ter. Eun. 1047, ,de his tot viris talibus‘ Cic. pro Planc. 12, 29. [Wesenberg. emendat. Tuscul. 2, p. 44 dixit: si sanum est ,de his tot viris talibus‘, asyndeton nullum est, duobusque verbis ,viris talibus‘ quasi uni cuidam notioni ,tot‘ adiectum est. Sed tamen hoc loco dissolute dicta illa verba intellegenda esse existimo, quamquam asyndeton ,tot talis‘ nullo alio loco inveni. Nam cum ,tot‘ et ,tales‘ haec duo vocabula cognationem notionis quandam inter se habeant, ,talibus‘ vix arctius coniungi potest cum ,viris‘ quam ,tot‘. Immo ,tot‘ vocabulo ,talibus‘ in aequo ponendum est neque magis pertinet ad ,viris‘ quam ,talibus‘. Cicero autem, ubi utrumque [tot‘ et ,tales‘] graviter dicere volebat, separavisse illa videtur et vocabulum unum plurave interposuisse, cfr. pro Caelio 28, 67: tot viri ac tales.] Sed in inc. Octavia 5: ,tot tantis‘; hoc igitur loco [cfr. supra] nullum vocabulum interpositum est. Nusquam autem alibi eiusmodi asyndeton inveni.

,Tantus‘ autem et adiect. vel part., cui ,tam‘ praecedit, non multo saepius copulata, ubi composita sunt, invenimus quam dissolute dicta: ,tantus et tam —‘ ap. Cic. quinquies, cfr. Sall. Catil. 51, 11, Val. Max. 1, 8, 2, ,tant. ac tam‘ ap. Cic. de imp. Cn. Pomp. 21, 63, ,tantus tamque‘ ap. Cic. raro, cfr. Sall. Catil. 14, 1, Jug. 4, 3, Liv. 36, 20, 4. Sed asyndeton invenimus ap. Ter. Andr. 938: ,tanto tam —‘; similiter ap. Cic. ad Att. 8, 8, 1, pro Mur. 17, 35, in Catil. 4, 3, 6, in Verr. 2, 2, 45, 110, cfr. Plin. epist. 2, 10 8, ,tantus‘ et ,talis‘ dissolute dicta invenimus ap. Cic. phil. 2, 29, 71.

Notatu denique dignum est, quod ,tantus‘ saepe de-

claratur et explicatur a duobus adiectivis, quibus ,tam' antecedit; eundem in modum ,tot' inlustratur.

Inter ea exempla, quae posuimus in cap. I et II, paululum tantum interest. Neque enim aut in contrariorum aut in ,synonymorum' asyndetis articuli orationis illi, qui dicuntur dissolute, dilabuntur vel distrahuntur, sed in cogitatione concurrunt et saepissime in unam notionem comprehenduntur. Ubi autem dissolutione in contrariis utebantur auctores, de ea re non iam cogitabant saepe, quod articulus articulo opponitur contrario nomine ac quod illa duo vocabula in contraria abeunt, sed cum eadem vocabula, quae per asyndeton dicta creberrime componerent in unum locum, usitiora redderent et tritiora, ita ut proverbii locum obtinerent, illis quasi una notione utebantur.

Quod autem ad illas quibus iurisconsulti potissimum utebantur formulas attinet, memorandum mihi videtur per saecula minus crebro ab illis atque etiam ab aliis script. in ipsas particulam copulativam illatam esse quam in alias formulas. Sed suas istud causas habet: illae formulae in omnium quasi usu erant vel certe in omnes pervulgatae. Ac qui talibus formulis utebantur, haud ita late vagari poterant, cum fere semper legitima verba essent eiusmodi formulae, in quibus a vestigio scripti recedere non licebat. Itaque integrae manserunt pleraeque. Sed etiam in has formulas interdum coniunctionem irrepsisse atque adeo Senecam philos., ut exemplo utar, semper his formulis coniunctionem addidisse iam supra cognovimus.

Sed ad extremum nolim dissimulare silentio illud in duorum magistratum [collegarum] nominibus coniunctis usitatum asyndeton, quod attribuendum est dicendi generi publico. In plerisque vel omnibus libris grammaticis [cfr. Kuehner, lib. gramm. ed. mai. II, 2, p. 750] invenimus ,et' raro adiungi consulum quidem duorum nominibus, quae componuntur eo consilio, ut is de quo agitur annus appelleretur, ubi praenomina addantur. Sed permultis a me congestis exemplis haec opinio refelli potest: saepissime ,et' adiunctum est, potissimum a Liv. [et a Tac.], ubi praenomina non desunt [cfr. Frontin. de aq. duct. cap. 102 Ded., in quo multa exempla scripta legimus, et

Digest. 36, 1, 1, 1. 38, 4, 1. 40, 5, 28, 4. 48, 8, 6. 48, 18, 8, saepius autem eius generis exempla in Digest. non inveni: ,et' nusquam in his libris deest].

Enumerativum autem dissolutum saepe statuendum est, ubi duobus nominibus personarum Roman. propriis coniunctio dempta est; aliis autem locis non seiungenda esse duo illa quae sententiae ratione videntur coniuncta esse nomina significatur; cfr. Klotz. ad Cic. Lael. 8, 28. 11, 39.

**Addenda, quae pleraque Wœlfflino, praeceptor
tori carissimo, debeo, et corrigenda.**

- pag. 4, 12 dele q. vel q, quod cod. Puteanus literis grandibus con-
scriptus est. (Wœlfflin.)
- " 8, 39 lege quam pro ut.
- " 10, 29 sq. cfr. Vahlen, ind. lect. Berol. 1878/79, pag. 6, qui merito
atque optimo iure complura dissoluta defendit a criticorum
libidine emendandi vel mutandi; sed negari non potest, quin
multitudo asyndetorum ex Ciceronis tempore minuta sit.
- " 11, 6 adde ,laetus ac libens' Liv. 23, 7, 11.
- " 11, 12 lege coniunction es pro coniunction em.
- " 11, 22 lege membra.
- " 14, 20 et 21 cfr. Ant. Zingerle, Martials Ovid Studien, Innsbruck
1877. (W.)
- " 15, 41 lege sollemne pro solleme.
- " 20, 9 cfr. Cic. Tusc. 5, 9, 24: ,male misereques' [et eund. in Verr.
3, 175: ,mala ac m.']. (W.)
- " 20, 32 lege exstaret pro cxstaret.
- " 20, 33 lege utramque pro utramqc.
- " 21 cfr. Thielmann. de sermon. propriet. quae leg. ap. Cornific. [in
dissert. Argentorat.] p. 416 et 417.
- " 22, 41 lege attinet.
- " 25, 7 lege volumus pro velimus.
- " 25, 9 lege non pro quin, uti pro uteretur.
- " 25, 17 pro commate post 14 collocato pone punctum.
- " 30, 26 dele punctum post ad.

- pag. 33, 32 adde ' post n.
 " 35, 35 lege illud pro illud.
 " 36, 4 cfr. ,domi duellique' ap. Plaut. Asin. 559 (552 Ussing) (W.)
 " 41, 1 lege ,locare conducere' pro ,conducere locare'.
 " 45, 38 lege Exig. pro exig.
 " 46, 36 lege Allgayer [pro Alg.], Antib. [pro antib.].
 " 47, 3 cfr. Momms. gramm. lat. IV, 283, 15. (W.)
 " 49, 40 lege 706 et 23.
 " 50, 10 cfr. Wölfflin. comp. lat. et rom. 41.
 " 52, 12 pone punctum post 192]
 " 53, 5 lege usurpatur.
 " 56, 26 adde ' post fortuito (u).
 " 58, 24 adde , post;
 " 60, 10 et 11 adde ,praeter opinionem improviso' ap. Cic. Verr. 2, 182 et cfr. Hellmuth. in act. sem. phil. Erlang. I p. 164 et 166.
 " 63, 18 pro ibid. lege Sil Ital. 4, 95.
 " 64, 23 lege (Pseudo) Aurel. (W.)
 " 66, 14 adde exempla ab Hellmuthio in act. s. phil. Erlang. I p. 165 et 166 prolata, cfr. ibid. Koehler. p. 445 et 388 sq. ad ,circum circa'.
 " 67, 11 cfr. Hellmuth. ibid. p. 151.
 " 68, 27 cfr. ,mag. ac m.' ap. Cyprian. de op. 15, epist. 13, 6. 26. 55, 30. 63, 18. 74, 1, Hegesipp. 3, 14. (W.)
 " 69, 2 adde ,mag. et m.' ap. Pomp. Mel. 2, 86. (W.)
 " 69, 4 ad ,mag. atque m.' cfr. Seren. Sammon. 372. 901. 946, Catull. 68, 48, Hor. sat. 2, 3, 318. (W.)
 " 69 adnot. cfr. Jahni ann. 93, 491. (W.)
 " 72, 2 adde , post et.
 " 75, 41 adde cfr. post 4,
 " 76, 31 lege 44 pro 43.
 " 78, 11 cfr. Hellmuth. all. l. p. 164 et Wölfflini adnotationem [ad ,victus vestitus'.
 " 78, 15 uncis include: et ap. Auson. Popm. . . .
 " 78, 21 ap. Flor. 2, 9, 10 [carcer catenae, fuga exilium] duo membrorum paria dissolute scripta legimus, cfr. supra p. 19.
 " 79, 2 cfr. ,vi ac v.' ap. Cic. Verr. 1, 21, 55, de har. resp. 49, ,vim atque v.' ap. Cic. Verr. 5, 10, 25, ,vis v. que' ap. Salv. epist. 9, 15. (W.)
 " 79, 10 cfr. ,pud. p. que' ap. Cic. de har. resp. 9, pro Deiot. 10, 28, de leg. 1, 19, 50, ,pud. et pud.' Verr. 5, 34, pro Sest. 73. (W.)
 " 94, 13 pone punctum post exigebat.
 " 95, 15 cfr. Plaut. mil. glor. 69: ,orant ambiunt opsecrant', Ter. Ad. 472: — orans obs. —, Caec. Stat. 212 R: ,obsecro oro'. (W.)
 " 95, 21 lege praeterisse pro praeteriisse.
 " 95, 27 et 28. Hanc sententiam revocandam esse probatur his exemplis: Cic. ad Att. 3, 19, 3 (or. et obs.), ep. ad fam. 4, 13, 7, [Liv. 26, 32, 8]. (W.)
 " 98, 15 cfr. Auson. epist. 20, 13: ,vive vale', Sulpiciae sat. 69: ,vive vale'. (W.)
 " 98, 19 cfr. Catull. 11, 17: ,vivat valeatque', Fronton. p. 43 N.: ,vale — et vive', p. 169: ,valerem — et vigerem'. (W.)
 " 99, 4 lege abisse pro abiisse.
 " 99, 28 adde ,dare dedicare', cfr. Zell, epigraph. Rom. N. 18. 1565. (W.)

- pag. 103, 41 cfr. Sen. de benef. 1, 10, 2: ,sanctum a c sacrum', Liv. 3, 55, 9: ,sacro s. que', Tertull. d. cor. 13: ,sacer s. que'. (W.)
- " 104, 1 cfr. Colum. 8, 16: docta[que] et erudita. (W.)
- " 104, 22 dele punctum post hoc.
- " 105, 30 sq. cfr. Hellmuth. all. l. p. 164.
- " 106, 1 verisimile est legendum esse ,divers^o variae'. (W.)
- " 107, 3 cfr. Schoener, act. sem. phil. Erl. II, 472.
- " 107, 37 sq. cfr. Vulg. 4 Reg. 12, 5. 6. 7. 8. 12. 22, 5. 2 Par. 24, 5, quae exempla Fuertnero, collegae humanissimo, debeo.
- " 108, 5 lege abisse.
- " 112, 81 cfr. Liv. 22, 39, 22: ,clara certa que', Cic. acad. pr. 19: ,clara iud. et c.' (W.)
- " 112, 88 lege 8 pro 11.
- " 113, 21 ad ,laetus lubens' cfr. Ritschl, rhein. Mus. 14, p. 382, § 9 [in sorte].
- " 113, 28 cfr. ,laetus a c libens' ap. Liv. 23, 7, 11, ,laet. lubens-que' ap. Prud. Cathem. 4, 67. (W.)
- " 115, 7 cfr. Petron. 37: ,sicca sobria' et Afran. 61 R: ,sicca sana sobria'. (W.)
-

I n d e x.

	pag.		pag.
aequum bonum	110 sq.	doctus eroditus	104
aequus iniquus	43	dolor ira	14
aestate hieme	15	(domi belli)	36
Aius Loquens (Locutius)	77	donis hostiis	79
ambigere dubitare	99	donum praemium	79
aperta secreta	43	durus asper	13
aqua igni	35	emptus paratus	112
arae foci	53. 77	equi viri	91
arare serere	99	equis viris	70
arma equi	92	ergo igitur	67
arma tela	86	etiam quoque	67
armis viris	74	extra intra	14. 23
aurum argentum	53. 79	exul extorris	115
bibere edere	98	factum transactum	110
bis ter	49	fanda nefanda	43
bona mala	43	ferre agere	93
bonum aequum	110	ferro igni	35
casu fortuito	56	flens gemens	104
certus clarus	112	forte casu	56
circum circa	66	forte fortuna	75
circumire hortari (similiaque)	96	forte temere	54 sq.
circum undique	66	fortis fidelis	114
clam furtim (clam furtive)	58	fundere fugare	96 sq.
clam nocte (noctu)	57 sq.	furtim noctu	53
clam palam	32 sq.	gaudere laetari	99
comminus eminus	31 sq.	gemitus ploratus (similiaque)	89
condus promus	79	habere possidere	13. 99
coniuges liberi	92	hac illac	23 sq.
dare accipere	39 sq.	haesitare dubitare	99
dare adimere	39	hic illic	26. 29
dare adsignare	99	hic tum	66
dare attribuere	99	hinc deinde	63
dare facere	99	hinc illinc	26 sq.
dare legare	99	hinc inde	15. 24. 27 sq.
deinde porro	65	huc illuc	23 sq.
deinde post (postea)	65	ibi tum	66
deinde tunc (tum)	64	ignorare nescire	99
denique tandem	15. 65	illico protinam	61
dextra sinistra	41 sq.	incompositus inordinatus	114
dicenda tacenda	43	(intro foras)	31
dictum factum	37 sq.	ioca seria	34 sq.
diem noctem	33	ire agere (iter actus)	99
digna indigna	43	ire redire	39

	pag.		pag.
ita sic	66	praeter propter	47
item simul	62	postea (post) deinde	65
iubere vetare	40	post hinc	63 adn.
iure lege	86	potare am re	98
iure optumo merito	62	precibus pretio	79
iusta iniusta	43	prima postrema	48
laetus libens	11. 113	probus numeratus	113
lectus numeratus	113	procul iuxta	32
libens merito	114	proinde igitur	68
liberi coniuges	12	propere celeriter	61
linguis moribus	76	prudens sciens	105
litis vindiciarum	85	pudor pudicitia	79
loca lautia	76sq.	pugnare proeliare (proelia pugnae)	98
locare conducere	41	purus putus	112 sq.
locus tempus	37	quasi velut	68
luae ruae (lue rue)	70	quoque etiam (et)	67
luce palam	15. 58	reddere restituere	99
magis magis	68	repente subito	60
magis minusve (et, ac)	47	rupta convolsa	13
manibus pedibus	71	rursum denuo	61
maria terrae	21 adn. 53	rursum prorsum	31
melius aequius	111	ruta caesa	109
misere male	20	sacer religiosus	103
monere suadere	95	sacer sanctus (sac. sincerus)	103
moribus legibus	76	sarta tecta	107 sq.
munus donum	85	satis abunde	59
nequicquam frustra	62	sciens dolo malo	105
nocte die	33	sed autem	67
nocte improvise	59	semel saepius	33
noctu (nocte) clam	58	serius ocius	48
noctu silentio	59	servos ancillas	79
noti ignoti	43	sex septem	50
novus de integro	61	sic item	66
nudus naufragus	115	siccus sobrius	115
nunc nunc	66	signa tabulae	75
omnes universi	107	simulter itidem	62
ope consilio	84	spes metus	36
opibus viribus	72	status conductus	110
oportet oportebit (similiaque)	100	stuprum adulterium	85
optimus maximus	106	surdus mutus	112
oro obsecro	95	sursum deorsum	29 sq.
oscula complexus	14	(susque deque)	30
pactum conventum	13. 83	tandem denique	65
palam publice	59	ter quater	48
par impar	48	terra mari	35 sq.
pariter item (semul)	62	tonare fulgurare	99
patres conscripti	70	tot tam — (tantus, talis)	115
patria domo	78	tum (tunc) deinde	63 sq.
pedites equites	89	tum porro (postea)	65
perspicue palam	58	ultra citro	17 sq.
plerique omnes	50	una simul	62
plus minus	47	unus alter	49
praesens absens	42		

	pag.
usus auctoritas	82
usus fractus 53.	80 sq.
nti frui	81
vagi palantes	104
velim nolim	45 sq.
velis remisque	70
velitis iubeatis	94
vendere emere (venditio emptio)	41. 53
ventis remis	70
vetus decrepitus	9
vetustus antiquus	104
vi hominibus armatis	84 sq.


	pag.
vi pugnando	71
vi violentia	85
vi virtute	78
victus vestitus	78
vigilare laborare	98
vinctus verberatus	112
viri feminae	14. 98
vivere valere	98
vivus vidensque	105
voce vultu	78
volens libensque	113
volens propitius	102 sq.

	pag.
Apuleius met. 4, 8, 254	78
Cato de re rust. 141, 2	102
Catull 73, 4	68
Cicero pro Rosc. com. 4, 11.	111
pro Ligar. 12, 36	116
pro Caec. 18, 51	83
in Calp. Pison. 10, 23	58
Tusc. 3, 3, 6	72
5, 35, 102	75
de off. 1, 17, 56	20. 40
de nat. deor. 2, 33, 84	18
somn. Scip. 1, 1	21
Tim. (Univ.) 14	26
ep. ad Attic. 6, 8, 1	83
16, 1, 5	59
10, 9 A, 1	95
(Pseudo) Cic. or. pr. quam in exs. i. 6, 14	108
Florus 2, 13 (4, 2), 44	26
Fronto p. 117 Nab.	113
Gaius inst. 4, 37	84
4, 91	85
Horatius epist. 2, 2, 199	69
iur. Rom. Vatic. frgm. § 336 (p. 772 H.)	85
Livius 1, 4, 4	56 sq.
7, 36, 7	90
9, 16, 8	57
10, 43, 12	55
21, 28, 2	87
21, 46, 4	88

	pag.
22, 13, 1	89
22, 29, 11	87
22, 61, 3	89
23, 11, 10	96
24, 1, 3 et 5	91
26, 27, 4	34
28, 14, 7	88
28, 25, 5	90
29, 19, 12	88
30, 32, 5	36
33, 17, 10	34
33, 25, 9	96
33, 38, 12	91
34, 35, 7	92
35, 35, 16	87 et 88
36, 18, 1	87
38, 53, 2	96
45, 1, 3	89
45, 1, 10	92
45, 8, 5	90
45, 39, 6	91
Minucius Fel. Oct. 10, 1	51
Paulli sent. 5, 9, 2	85
Plautus Cas. 5, 1, 15	114
Capt. 995	47
Plinius n. h. 33, 4, 73	78
Seneca apocoloc. 1, 3	112
de clem. 2, 6, 1	113
Sueton Domit. 2	32
Ulpian. inst. I fr. 1, 2	81
Valerius Max. 3, 7, 3	46









1. *Introduction*

2. *Methodology*

3. *Results*

4. *Discussion*

5. *Conclusion*

6. *References*

7. *Appendix*

8. *Notes*

9. *Index*

10. *Index*

